




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Consultatio Canonica De Coadjutoriâ perpetuâ. Sive
Methodus Rite Procedendi in Coadjutoriis**

Arnoldus <a Sancto Leonardo>


Moguntiae, 1695


[urn:nbn:de:hbz:466:1-63366](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63366)



Th
4841

M. 1 Th. 4841.
40.





CONSULTATIO
CANONICA

DE

Coadjutoriâ perpetuâ.

SIVE

METHODUS RITE PROCE-
DENDI IN COADJUTORIIS,

Celsissimo ac Reverendissimo Do-
Collegii *mino, Domino Pa. J. Haderborn*

LOTHARIO
FRANCISCO

Ex Baronibus de Schönborn,
Imperialis Ecclesiæ Bambergensis
EPISCOPO, S. Sedis Moguntinæ
COADJUTORI S. R. I.
PRINCIPI, &c, &c.

Domino, Domino Clementissimo,
D. O. C.

PER

Fr. ARNOLDUM à S. Leonardo Ordinis
FF. B. V. Mariæ de monte Carmelo SS Theol.
Lectorem emeritum, Provinciæ Allemaniæ in-
ferioris Exprovincialem.

MOGUNTIAE, Typis JOANNIS MAYR,
Typographi Aulico-Academici. M, DC, XCV.

CONSILII TATIO
C. A. M. O. N. I. C. A.

Good morning

METHODS WITH PROOFS

DEMONSTRATED BY

CHRISTOPHER

Collegii
Christoph. de la Roche

LOTHARIO

FRANCISCO

de

in

et

et

et

et

et

et


ANNONCIATIONIS
MAYI
M. DC. LXXV.



Celsissime ac Reveren-
dissime

PRINCEPS

Domine Domine Clementissime.

loriosissima Tue in
Coadjutorem Mo-
guntinum cum fu-
tura successione de-
putationi ceu con-
firmationi, gratulantium populo-
rum

A ij

rum

rum & provinciarum astus, ubi paulisper deforbuit; mihi quoque ab humanitate Tua, aditum ad Te polliceri audeo, & hocce opusculum ad Celsitudinem Tuam veneratione supplici destinare: consentaneum enim est, ut in præclare gestis, ejus nomine glorientur mortales, cujus auspiciis ad magna ducuntur; nam sicut obnoxii animi, & infœlicis ingenii est, alienam laudem sibi arrogando præripere; ita tamquam ingenui pudoris plenum commendatur, quibus quæque debentur, spontè reddere: sic flumina exeunt ex mari, sed grata sese primæ & origini restitunt, non solum in naturæ constantiam, sed in humanæ gratitudinis documentum: par enim est, ut ibi reponamus, unde
 acce-

✠) (✠)

accepimus: Hinc Tibi, Celsissime Princeps, consultatio mea jure optimo dicata prodit, ut sui qualiscumque splendoris ac speciei Speciosum Fontem repetat, illique cedat gloriam, si quam mereatur, à quo suum hausit ortum ac splendorem. Fons verè Speciosus, Illustrissima Profapia de Schönborn, ex quo Illustrissimi, Generosissimi, sago togaq; Clarissimi Heroës & Principes profluxerunt, quorum equidem hoc loci, syllabum nemo expectabit, quin etiam florentissimam etiamnum superstitem Tanto Parente dignam Fratrum tuorum triadem, quorum supremis intimisq; consiliis Archi-Diœcesis Moguntina regitur, ejusq; Rota per plures annos volvitur, silentio nunc meo, venerabor, unum unicum nominasse

Aij

nasse contentus, sed multis de mil-
 libus unum, Tuumne dicam Pa-
 truū an (ut semper, etiam post fu-
 nera gloriosissimè superstes, audit)
 patria Patrem, & Principem pa-
 cis, Eminentissimum Joannem
 Philippum Archi-Episcopum &
 Principem Electorem Mogunti-
 num, Episcopum & Principem
 Wormatiensem, & Herbipolen-
 sem, Franconia Ducem, qui
 tantā prudentiā, sapientiā, &
 rerum gerendarum dexterita-
 te per 26. Annos Archi-Diœ-
 cesin Moguntinam rexit, promo-
 vit, & tam civitate, totaq; di-
 tione Erfurtensi, quā totā stra-
 da-montanā recuperatā, auxit,
 ut Eidem verissimè attribui possit
 illud Eccli. 49. v. 2. & 3. de Josiā
 Rege Juda, Principe laudatissi-
 mo elogium: In omni ore quasi
 mel

mel indulcabitur ejus memoria,
 & ut musica in convivio vini.
 ipse est directus divinitus in pa-
 cem, promotionem, & gloriam
 gentis Mogonæ, & tulit abomi-
 nationes quorumcumque dissidio-
 rum ac bellorum. Famam ipsam
 & veritatem appello, si quid hic
 augeam; quotquot Principem il-
 lum novère propiùs, iis minùs
 potius, quam pro meritis Ipsius
 dixisse videbor. Hinc & talem
 Te, Clementissime Domine, ex
 eodem Specioso Fonte promanan-
 tem Principem, iisdem planè (ut
 paucis multa) quibus altememo-
 ratus Patruus Tuus, animi do-
 tibus ac virtutibus à Deo & na-
 turâ dotatum, Moguntinenses
 sibi gratulantur, & omni, quam
 latè patet, applaudente Germa-
 niâ, Celsitudinem Tuam, spem
 A iiij suam

suam alteram, per densas calamita-
 tatum, quibus miserè hoc tempo-
 re premuntur, nebulas, jucundè
 intuentur, Eminentissimi Patru
 Tui vestigiis Heroo pede & pecto-
 re fortiter insistentem. Hac ipsa
 fuere motiva Eminentissimi An-
 selmi Francisci Archi - Episcopi
 ac Principis Electoris nostri Mo-
 guntini Te in Successorem suum
 adoptantis: Illustrissimi Capituli
 Metropolitanani Te unanimibus
 votis in Coadjutorem cum futura
 successione postulantis: & Sanctis-
 simi Domini nostri Innocentii
 XII. hanc ipsam unanimem Tui
 postulationem à sacra Congrega-
 tione Consistoriali, ipso etiam fe-
 riarum autumnalium tempore,
 indilatè examinari jubentis, ean-
 dem singulari paterni cordis; jubi-
 lo

lo mox approbantis, & remissis
 juribus, alioqui consuetis, Te in
 personâ propriâ Pontificiâ solem-
 nissimè preconizantis, aliisq; fa-
 voribus Apostolicis, & gratis
 omnino singularibus ac extraordi-
 nariis, Te pro meritis condeco-
 rantis. Hoc igitur opusculum,
 ceu directorium Tuum in Coadju-
 toriis ritè & methodicè proceden-
 di, Celsitudini Tuæ, gratulabun-
 dus inscribo ac dedico, tenue fa-
 teor, longeq; meritis Tuis inferius,
 publicum illud tamen & sincerum
 perpetui meritissimiq; obsequii, ho-
 noris, cultus, observantia, & gra-
 titudinis meæ monimentum. Deus
 Celsitudinem Tuam, diutissimè
 servet, tueatur, & sospitet. Sic
 vovebam Moguntia 20. Februa-
 rii 1695.

P.S. Me præter morem eorum qui libros Patronis suis inscribere & dedicare solent; minus potius, quam pro meritis etiam Tuis, in hac epistola mea dedicatoria dixisse, luculenter comprobatur subsequens SS.D.N. Innocentii Papæ XII. Breve ad Te nuperimè directum.

Innocentius Papa XII.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ga visi admodum sumus intelligentes ex literis, quas 5. Septembris proximè elapsi ad Nos dedisti, Fratritatem tuam in Coadjutorem Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ, unanimi Capituli consensu
po-

postulatum fuisse; pietatem enim,
 zelum, ceterarumque tuarum
 virtutum prestantiam serio esti-
 mantes, in magnum prefatae Mo-
 guntinae Ecclesiae incrementum ces-
 suram praesignatam postulationem
 pro explorato habemus; quam ob-
 rem alacriter ipsi libenterq; an-
 nuimus, tributa tibi facultate re-
 tinendi Ecclesiam Bambergensem,
 de qua Archi-Episcopus Mogun-
 tinus Nos rogavit, Et sicuti ex
 sacrae Congregationis decreto aper-
 tē cognosces; Fraternitati interim
 tuae Apostolicam benedictionem
 peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Ma-
 riam majorem, sub annulo pis-

cato-

✠ 12 ✠
catoris die, octavâ Octobris,
M. DC. XCIV. Pontificatûs
Nostri anno quarto.

Marius Spinola.

Celsitudinis Tuæ,

*Devotissimus servus &
infimus Cliens*

Fr. Arnoldus à S. Leonardo
Ordinis Carmelitarum,
Assistens Provincialis, &
Conventûs Moguntini p.
t. Superior.



Censura Ordinarii.

PRæsens consultatio Canonica
materiam de Coadjutoriâ per-
petuâ solidè tractat, nec vel Ca-
tholicæ fidei, vel bonis moribus
adversatur, proinde imprima-
tur. Moguntiaë 13. Januarii An-
no 1695.

Leonardus Nimis,
*SS. Theol. & V. Iur. Do-
ctor, Officialis Mog. &
Librorum Censor.*

Ap-



Approbatio Theologorum Ordinis.

EX Commissione Adm. R. P. Stephani à S. Joanne Evangelista Provincialis nostri attentè perlegimus Consultationem Canonicam de Coadjutoriâ perpetuâ, ab Adm. R. P. Arnolde à S. Leonardo SS. Theol. Lectore emerito & Exprovinciali ex intimis Juris Canonici penetralibus probè erutam, in qua nil sanæ fidei aut bonis moribus contrarium reperimus; plurima verò, quæ, occurrentibus postulationibus Coadjutorum, maximè, Episcopali, vacillantes ac dubios firmare, difficultates submovere, & pacem ac tranquillitatem publicam promovere valeant: dignissimam idcirco censemus eandem, ut ad comunem utilitatem publici juris fiat. Datum in Carmelo nostro Coloniensi die 12. Decembris 1694.

Fr. Cunibertus à S. Huberto, *Ordinis FF. B. V. Mariæ de Monte Carmeli, provinciæ Allemanniæ inferioris Definitor, SS. Theol. Lector.*

Fr. Candidus à S. Jacobo, *ejusd. Ord. SS. Th. Licentiatus, & Lector.*

Ad



Ad Lectorem.

HAbes in hoc opusculo, benevole Lector, epitomen eorum quæ Cardin. Tusch. Card. de Luca, Barboſa, Fagnanus, Garzias, Remouchamps, & de Matta sparsim tradunt de Coadjutoriis, speciali occasione mihi, alioqui aliis potissimum intento, oblatâ, in hanc clariorem methodum succinctè digestam; in qua singulis capitibus argumenta seu summaria præfixi, loco indicis, ut materiarum sede, primo aspectu, ob oculos positâ, videas, num quid tibi conducere existimes; menda igitur occurrentia benignè emenda, & vale: dum hæc epigrammata subnecto,

Ad Zoilum

Titulum libelli vellicantem:

Quid stas præforibus? cæco quid murmure complex

Limina? testa subi: vel citò vade vias.

Ad

Ad eundem.

Candidam hanc præfationem suggillantem.

Si similes versus aliis sint forte libellis;

Dices: *Non horto flos venit ille tuo.*

Sint musæ testes, Judex sit & æquus Apollo:

Ex horto potius flos venit ille meo.

Ad eundem.

Pleraque livide carpentem.

Diversis diversa placent; quod amaverit unus,

Oderunt alii; nemo cuique placet.



Elen-



Elenchus Capitem.

Caput I.

ETymologia, Definitio, & divisio Coadjutoria.

Caput II.

Quando, & quo jure inductæ sint Coadjutoria, & an futura successio in illis adversetur Iuri communi, vel decretis Concilii Tridentini?

Caput III.

Quis possit dare seu deputare Coadjutores; & an concordata Germaniæ Coadjutorias perpetuas cum futura successione comprehendant?

Caput IV.

DE causis ob quas dari solet Coadjutor; & de qualitatibus in eodem requisitis.

Caput V.

AN Coadjutor cum futura successione eligi debeat à Capitulo, an verò possit.

stulari? & an sufficientia majora dumtaxat
& saniora Capituli vota seu suffragia?

Caput VI.

AN ad postulationem Coadjutoris
prærequiratur, Breve Apostolicum,
quo Episcopus coadjuvandus, & Capitu-
lum ad petendum Coadjutorem excite-
tur? & an summus Pontifex Coadjuto-
rem à Coadjuvando & majori ac saniori
parte Capituli postulatum teneatur ad-
mittere, seu deputare?

Caput VII.

AN Coadjuvandus suis Capitularibus,
sine præjudicio libertatis eorundem,
certam personam pro suo Coadjutore
proponere & recommendare valeat?

Caput VIII.

DE officio, juribus & prærogativis Co-
adjutoris.

Caput IX.

Quomodo Coadjutoria amittatur seu
finiatur?

CON-



CONSULTATIONIS CANONICÆ

DE

Coadjutoria Perpetuâ ,

Caput I.

Etymologia, Definitio & Divi- sio Coadjutoria.

SUMMARIUM.

1. *Etymologia nominis.*
2. *Definitio Coadjutoria generatim sumpta.*
3. *Explicatur definitio.*
4. *Definitio Coadjutoria perpetua seu cum futura successione.*
5. *Coadjutoria respectu materiae, alia spiritalis, alia temporalis est.*
6. *Similiter respectu temporis & formae dividitur in temporalem & perpetuam.*
7. *Alia species Coadjutoria in Suffraganeis, Vicariis & Officialibus.*

I. **C**oadjutores à con adjuvando dicti,
juxta sui Etymologiam nominis a-

B ii

lios

lios in officiis seu muneribus sublevant; unde etiam simpliciter Adjutores appellantur, qui nimirum levandi laboris causâ, ægritudine præpeditis, vel multitudine negotiorum obrutis opem ferunt. *c. petiisti 7. q. 1. c. si Petrus 8. q. 1.*

Quamvis autem Sæculares æque ac Clerici sublevamine & adjutorio sæpe indigeant, sicque tam in officiis & muneribus Sæcularibus quam Ecclesiasticis Coadjutores admitti soleant; nos hic de solis Coadjutoribus Ecclesiasticis, & quidem de perpetuis; id est, illis, quibus ex Authoritate superioris spes futuræ successionis annectitur, tractabimus; & hi aliquando etiam Co Episcopi appellantur, *cap. non autem. & cap. quia frater 7. q. 1.* aliquando Dispensatores *cap. scripsit 7. q. 1.* Hinc.

II. Coadjutoria in genere definiri vel describi potest, quod sit gratia, qua per illum qui potestatem habet, persona idonea, in gratiam vel sublevamen alterius personæ assistentia indigentis, aut in bonum ipsiusmet Ecclesiæ vel reipublicæ, certo officio administrando, iusta de causa deputatur.

III.

III. Coadjutoria dicitur *gratia*, quia sine forma Judicii conceditur ex attestationibus extrajudicialibus, ac beneplacito concedentis. Dixi *per illum qui potestatem habet*, quia nemo potest dare Coadjutores, nisi Papa, Ordinarius, aut Princeps vel Dominus supremus ut magis constabit ex dicendis *cap. 3. dixi persona idonea*, quia debet subire vices & onus alterius, prout etiam expresse declaratur per illas particulas *certo officio administrando*, per quas tamen ab hac definitione non excluditur Coadjutoria eorum, qui defacto non indigent operâ Coadjutoris; sufficit enim quod habitu possit eum sublevare, & exercere munia annexa beneficio; & ideo ejusmodi onus habituale pro causa finali gratiæ solet in bullis Pontificiis adjici. Dicitur *justa de causa*, quia sine summaria cognitione causæ non dantur Coadjutores cujuscumque generis: Coadjutoria enim simplex conceditur ex causa inidoneitatis personæ Coadjutæ, adeoque in sublevamen illius; perpetua verò non nisi ad majorem Ecclesiæ vel reipublicæ utilitatem. Quod si beneficiatus qualiscumque male & scandalosè

vivat, nec monitus resipiscat, illi non Coadjutor, sed prævia depositione judiciali successor absolutus & pleno jure subrogari debet juxta sacros Canones & Conc. Trid. *sess. 21. cap. 6. de reform.*

IV. Cum autem objectum principale hujus nostri tractatûs sit Coadjutoria perpetua, seu cum futura successione; illa specialiter sic definiri potest; quod sit gratia, qua summus Pontifex, ob publicam Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem, deputat personam idoneam, cum onere saltem habituali, in sublevamen beneficiati, cum certa spe successionis in eodem beneficio seu munere, per cessum vel decessum Coadjuti vocaturo.


V. Ex parte materiæ dividi potest Coadjutoria in temporalem & Spiritualem, nam Principi sæculari, vel etiam Prælato Ecclesiastico respectu administrationis in temporalibus, ob inidoneitatem vel negligentiam dari potest Coadjutor ut patet *ex cap. grandi de supplen. neglig. prælat in 6.* Coadjutoria spiritualis datur propter insufficientiam aut inidoneitatem Prælatorum quoad rerum spiritualium administrationem. *cap. de rectori-*

*bus 3. & cap. ex parte tua s. x. de Cleric. a-
grot.*

VI. Ex parte formæ & temporis, a-
lia temporalis & revocabilis est, quæ da-
tur ad tempus vitæ ipsius Coadjuti, vel
cessante impedimento. Alia est perpe-
tua, sive cum futura successione, de qua
hic potissimum tractabimus, quæ confer-
tur per summum Pontificem, sub condi-
tionibus à Conc. Trid. *sess. 25. cap. 7. de
reform.* requisitis, infra cap. 4. elucidan-
dis; & hæc Coadjutoria quatenus respicit
favorem Coadjuti, expirat eo mortuo,
ad exemplum Coadjutoria temporalis
& revocabilis; sed in quantum respicit fa-
vorem Coadjutoris, per obitum coad-
juti non expirat, sed per gratiam præven-
tivam acquiritur Coadjutori in beneficio
jus ad rem, quod eveniente vacatione per
obitum coadjuti efficitur jus plenum pro-
ut ulterius declarabitur cap. octavo.

VII. Addi posset tertia species,
nempe Coadjutoria subordinata, eorum
scilicet, qui propter inidoneitatem, vel
non qualificationem, aut multitudinem
negotiorum Episcopi vel Prælati, depu-
tantur & constituuntur ad exercendum

Pontificalia ; nempè conficiendum sacrum chrisma , consecrandum Altaria , conferendum Ordines , vel ad munia Jurisdictionalia: Hinc passim in Germania solent deputari per Episcopos Primarios , tres Vicarii , in Pontificalibus Suffraganeus , in Spiritualibus contentiosis Officialis , in spiritualibus gratiosis , Vicarius specificè sumptus ; in temporalibus Cancellarius.



Caput secundum.

Quando , & quo jure inductæ sint Coadjutoria , & an futura successio in illis aduersetur Juri communi , vel decretis concilii Tridentini?

S U M M A R I U M.

1. *Summis Sacerdotibus in veteri testamento dati Coadjutores.*
2. *Apostoli Coadjutores assumpserunt.*
3. *Vsus Coadjutorum Ecclesiasticorum hucusque continuatus.*
4. *Hæc de Coadjutoribus ad tempus vita coadjuti , vel durantis impedimenti , datis , potissimum intelliguntur.*

5. *An*

5. *An Coadjutoria perpetua juri communi & Conc. Trid. conformes sint, an vero ab iisdem exorbitent?*
6. *Aliqui asserunt coadjutorias cum futura successione juri communi conformes esse.*
7. *Allegantur jura & rationes pro hac sententia.*
8. *Alii è contra hujusmodi Coadjutorias juri communi adversari existimant, ex ratione hic allegata.*
9. *Asseritur & probatur coadjutorias perpetuas in Cathedralibus & monasteriis juri communi & Concil. Trid. non adversari.*
10. *Secus verò Coadjutorias perpetuas in canonicatibus & aliis beneficiis inferioribus.*
11. *Potest tamen summus Pontifex ex speciali indulgentia & dispensatione hujusmodi coadjutorias & gratias concedere.*
12. *Et quidem absque eo quod Concilio Tridentino specialiter derogare debeat.*
13. *Sed tunc futura successio non conceditur secundum jus commune, sed contra canones & conc. Trid.*
14. *Concilium non ligat Papam vi coactiva, quamvis illum comprehendat vi directiva rationis.*

B v

15. Assig-

15. Assignatur ratio disparitatis cur Concil.
 Trid. coadjutorias perpetuas permiserit
 in Cathedralibus & monasteriis, non au-
 tem in canonicatibus, aliisque beneficiis
 simplicibus.

I. Coadjutoria moribus introductæ
 sunt ex necessitate propter insuf-
 ficientiam Principum vel Episcoporum,
 pro salute populi: earumque usus anti-
 quissimus est, nam in veteri testamento
 muneris illius Summi Sacerdotii Coadju-
 tores fuisse asserit *Flavius Iosephus antiqui-
 tat Iudaicarum lib. 5. cap. 11. lib. 15. cap. 2.
 lib. 17. cap. 8.* plures Vicarios seu Coadju-
 tores recensens quos aliquando substitui
 contingebat summis Sacerdotibus.

II. In novo testamento S. Petrus A-
 postolus Adjuutores Linum & Cletum sibi
 adscivit. *c. si. Petrus 8. q. 1.* & Paulus Ti-
 motheum sibi adjunxit *Rom. 16. v. 21.*

III. Athanasius senio confectus dele-
 git sibi Coadjutorem quemdam Petrum,
 tribulationum suarum participem & socium,
 ut refert *Rufin. Histor. Eccles. lib. 11. c. 3.* Si-
 militer Gregorius Nazianzenus, fessa jam
 ætate, & corpore invalidus, Ecclesiæ
 suæ

suae metuens Coadjutorem sibi optavit, ut debilitatis & senectutis otio fruere-
Ruffin. cit. loco cap. 9. Idem fecit Narcissus
 Episcopus qui ob decrepitam ætatem,
 muneri obeundo non amplius idoneus,
 Coadjutorem Alexandrum annuente
 Clero assumpsit, ut testatur *Niceph. lib. 5.
 cap. 16. & Euseb. l. 6. c. 49.* Sic Augustinus
 Valerio Hipponensis Ecclesie Episcopo
 Co-Episcopus datus fuit. *Can. non autem
 7. q. 1.* Sic Zacharias Papa Bonifacio Ar-
 chi-Episcopo Moguntino concessit, ut
 sibi designaret aliquem qui ministraret, &
 sit in Evangelium Christi Adjutor. *c. petii-
 sti q. 1.* Atque ita successu temporis inva-
 luit Coadjutorum usus in plerisque Epi-
 scopatibus, aliisque beneficiis Ecclesiasti-
 cis, quos omnes recensere, æque impos-
 sibile, ac supervacaneum.

IV. Præmissa de Coadjutoriis tempo-
 ralibus, sive ad tempus vitæ coadjuti,
 aut impedimentum ejusdem durantibus,
 potissimum intelliguntur, quamvis etiam
 Coadjutoria cum futura successione, mo-
 ribus similiter inductæ, conformitatem
 sive affinitatem quandam habere videan-
 tur cum jure veteri, ut tradit *Mandos ad
 Reg.*

Reg. Cancell. 11. q. 5. n. 5. Aliis tamen hoc ipsum negantibus ; unde gravis hic exurgit difficultas, &

V. Quæritur an Coadjutoria quæ dantur hodie à Sede Apostolica cum futura successione, adversentur juri communi, vel Decretis Concilii Tridentini ?

VI. Quod spectat ad jus commune, tres sunt Canonistarum sententiæ ; prima est eorum qui putant hujusmodi Coadjutorias esse conformes juri communi, ut *Nicolaus Garzias in tract. de beneficiis parte 4. c. 5. n. 19. & 21. Puteus decis. 478. num. 5. l. 2.* ubi ait gratiam Coadjutoria non esse merè præventivam, sed habere fomentum juris propter consensum coadjuti. *Mandos ad Reg. canc. 11. supra citat.* Et alii.

VII. Allegantur pro hac opinione tria jura, primo *c. petiisti. 7. q. 1.* ubi hoc videtur expressum, si enim ex causa inidoneitatis vel insufficientiæ Prælati, legitime datus Coadjutor temporalis post Prælati decessum inveniebatur dignus, Jure veteri successor designabatur per Summum Pontificem, ut ostendit *Rebuffus in sua praxi beneficiaria de resignat. expres-*

expressa num. 6. non tantum ex can. petiiste citato, verum etiam ex can. quia frater. ibidem 7. q. 1. & cap. nisi cum pridem x. de renun.

Deinde allegatur *can. non autem, eadem 7. q. 1.* ubi beatus Augustinus successit in Ecclesia Hipponensi de consensu Episcopi ægrotantis. ut dicit *Puteus decis. 226. num. 17. lib. 3.* Tertio allegatur *cap. 2. de præbend. in 6.* ubi expressum est, Romanum Pontificem non solum beneficia dum vacant posse conferre de Jure, sed etiam Jus in ipsis tribuere vacaturis. Ex quibus verbis videtur colligi has gratias præventivas respectu Papæ non adversari Concilio Lateranensi.

VIII. Secunda opinio primæ opposita est existimantium Coadjutorias cum futura successione nequaquam esse Juri communi conformes, sed ex stylo ad inventas. Ita *Cassador. decis. 2. num. 2. de restitut. spoliat. Gonzal. ad reg. 8. de mensibus & alternat. gloss. 5. §. 9. num. 48. Azor instit. moral. 2. parte lib. 3. c. 2. q. 1. & alii citati à Garzia de benef. parte 4. cap. 5. num. 13. & seq.* Præcipua ratio hujus sententiæ est, quod de Jure communi Coadjutor de-

detur pro necessitate Ecclesiæ, & ad tempus impeditenti, non autem cum futura successione, quæ est sacris Canonibus inimica ut dicitur *in cap. accepimus x. de pactis. & alibi sæpe.*

IX. Tertia sententia distinguit duas species Coadjutoriæ cum futurâ successione; quædam enim datur pro Cathedrali Ecclesia vel monasterio, cum scilicet Episcopus vel Prælatus propter senium vel ægritudinem factus est inhabilis ad pastorale munus exercendum: Quædam verò datur pro beneficiis inferioribus in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, cum scilicet Dignitatem obtinens, vel canonicatum, similiter propter senium aut morbum redditus est inhabilis ad inserviendum ecclesiæ in divinis.

Hac distinctione posita, Dico cum Fagnano *in caput nulla de concess. præb. num. 47. & 48.* quod gratia Coadjutoriæ perpetuæ in Cathedralibus & Monasteriis, non sic adversetur Juri communi, aut decretis concilii Trident. quin ex Privilegio vel dispensatione Papæ concedi queat, sed hoc sensu Juri communi & concilio Trid. conformis sit. Ratio est, quia canones
per-

permittunt ut Papa possit hujusmodi Coadjutoriam concedere ex urgenti necessitate: textus enim apertus est in *c. petiisti* 7. q. 1. Ubi Zacharias Papa concessit Archi-Episcopo Moguntino, ut sibi Coadjutorem adjungeret, & ut appropinquante morte sua, eundem Coadjutorem sibi Successorem designaret. Concilium Trid. etiam hanc speciem Coadjutoriae expresse permittit in *cap. 7. de reformat. vers. Quod si quando sess. 25.* Ut magis patebit ex dicendis num. sequenti. Quod autem gratia hujusmodi Coadjutoriae detur ex Privilegio & dispensatione Papae, non Jure ordinario, patet evidenter ex dicto *can. petiisti.* ubi posteaquam Papa fecit Archi-Episcopo gratiam Coadjutoris cum futura successione, statim subjecit haec verba: *Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.* Et ita hanc concessionem ut Ecclesiae necessariam prodiisse ex speciali privilegio adnotarunt ibi *Hugo. Archid. Praepos. & alii.* Huc etiam facit Decretum Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 18. de reformat.*

X. E con-

X. E contra vero gratia Coadjutoria quæ datur à Summo Pontifice cum futura successione in canonicatibus & aliis beneficiis inferioribus, omnino exorbitat à Jure communi, & à Concilio Trid. Quod Juri communi adversetur, patet ex eo, quod nullus canon in corpore juris clausus reperiatur, qui meminerit similis gratiæ in inferioribus beneficiis; nam textus in contrarium adductus, *in c. petiisti 7. q. 1. & c. non autem immediate sequenti*, eadem causa & quæst, Loquuntur de Episcopo, in quo longe diversa est ratio. Plures rationes adducit Fagnanus supra citatus num. 52. & seqq.

Quod Coadjutoria in canonicatibus & aliis beneficiis inferioribus etiam omnino improbentur à Concil. Trid. manifeste patet *ex cap. 7. sess. 25. de reform.* Ubi expresse statuitur, quod Coadjutoria cum futura successione in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis à Sede Apostolica de cætero nemini permittantur; & immediate subnectitur exceptio per hæc formalia verba: *Quod si quando Ecclesia Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Prelato dari*
Coad-

Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hac causa prius diligentissime à Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à jure & decretis hujus sacre Synodi, in Episcopis & Prælatibus requiruntur. alias concessionem super his facta subreptitia esse censeantur. Hac ibi. Ex quo contextu luce clarius apparet coadjutorias cum futura successione à S. Synodo non esse permissas Summo Pontifici quacumque de causa, nisi in Cathedralibus & Monasteriis: nam cum præmiserit regulam universalem negativam in quibuscumque beneficiis, & ab illa exceperit tantum Cathedralibus & Monasteria ex urgenti causa, utique hæc exceptio firmat regulam in contrarium, in canonicatibus & in aliis beneficiis non exceptis, adeo ut in illis quacumque de causa coadjutoria cum futura successione de cætero à Summo Pontifice nullatenus sint permittendæ, quæ hoc sensu deviant ab orbita Concilii Trid. unde post Concilium nemini fuerunt concessæ usque ad tempora Sixti V. ut testatur Nicolaus Garzias *de benef. p. 4. c. 5. n. 23. & 24.*

C

XI. Cæ-

XI. Cæterum non nego Summum Pontificem ex speciali indulgentia & dispensatione, posse legis vinculum relaxare, & has gratias concedere, ut patet ex *cap. 2. de præb. in 6.* & aliis Juribus, nec quisquam auderet hoc in dubium revocare ob plenitudinem potestatis Papæ in beneficiis, ut in *Clem. 1. in fin. ut lite pendent.*

XII. Quod adeo verum est, ut non solum Coadjutoria cum futura successione, sed etiam simplex expectativa quæ procul dubio est contra *Conc. Trid. c. 19. sess. 24.* sustineatur, licet Concilio Trid. derogatum non fuerit, quia illi nec solet, nec oportet specialiter derogare, propter expressam præsertionem authoritatis Apostolicæ Sedis, quæ habetur in *cap. ult. sess. 27. de reform.* Sed satis est, ut Papa disponat contrarium ejus, quod Concilium disponit, dummodo supplicatio manu Papæ signata fuerit, ut expresse declaravit S. mem. Pius V. in suo motu proprio, quem ad literam refert *Nicolaus Garzias de benef. par 4. c. 5. n. 32. 33.*

XIII. Sed hoc tantum assero, quod futura successio in canonicatibus, aliisque beneficiis inferioribus non concedatur

datur à Summo Pontifice secundum Jus commune, sed contra canones & Conc. Trid. ex speciali indulgentia & dispensatione, ac de plenitudine potestatis; quod fieri posse ultrò fatemur. Videatur *Fagnanus l. cit. n. 82. & 83.*

XIV. Et quamvis Concilium vi coactiva Summum Pontificem non astringat, cum tamen comprehendit vi directiva, rationis, quia voluntarius debet se illi subicere, ut est expressum *in c. ult. §. his ita 25. q. 1. & in L. digna vox C. de leg. D. Thomas 1. p. q. 96. Art. 5. ad. 3.* per hoc enim Concilium indicat Papæ, non quid sit possibile, sed quid sit honestum & laudabile, *cap. ult. de rescript. in 6. Fagnan. Loc. cit. n. 70.*

XV. Ratio autem cur Concilium coadjutorias perpetuas permiserit tantummodo in Cathedralibus & monasteriis, non autem in beneficiis inferioribus, est, quod Coadjutores Prælatorum dantur in gratiam & favorem Ecclesiæ, Prælati, & subditorum; imò ex necessitate principaliter, secundario verò pro recompensa laborum per Coadjutorem necessario & ex muneris sui debito infallibiliter subeundorum,

rum, uti & per modum accessionis, maxime quando Coadjutori non fuit assignata portio ex fructibus dignitatis, durum enim & injustum foret, ut is repertus idoneus vivo Prælato coadjuto cum causæ cognitione, alteri postponeretur. *text. in can. miramur. vers pro laboribus dist. 61.* E contra coadjutoria beneficiorum simplicium cedunt duntaxat in favorem Coadjutoris, nec inde Ecclesia aut Coadjutus, singulare commodum aut sublevamentum sentit; eo quod Ecclesia gratiose dispenset cum infirmis; & citra suam culpam inhabilibus, super lectione horarum & exercitio Ordinis, annuatque nihilominus ut integros fructus percipiant. *Remouchamps cap. 6. num. 3. & seqq. Fagnan. loc. cit. num. 72. & sequent.*



Caput



Caput III.

Quis possit dare seu deputare Coadjutores, & an concordata Germaniæ Coadjutorias perpetuas cum futura Successione comprehendant?

S U M M A R I U M.

1. *Solus Papa dat Coadjutores temporales Episcopis, aliisque Superioribus.*
2. *Nec Episcopus dissentiente Capitulo Coadjutorem optare; nec capitulum Episcopo invito Coadjutorem dare potest.*
3. *Ordinarius dare potest Coadjutores temporales inferioribus Prælati aliisque beneficiatis.*
4. *Attamen de consensu Capituli, aut patroni Laici; si beneficia fuerint electiva, vel Iuris patronatus Laici.*
5. *Coadjutorias cum futura successione solus Papa concedere potest; quas sine consensu possessoris, Capitulum, & Ordinarium conferre non solet.*

Ciiij

6. Con-

6. *Concordata Germaniæ comprehendunt Coadjutorias cum futura successione.*
7. *Papa concordatis derogare non potest, nisi justa & rationabili de causa.*
8. *Vnde rarissime per S. Sedem illis derogatum est.*
9. *Nec Papa concedit coadjutorias perpetuas in beneficiis juris patronatûs laici, sine consensu patroni.*

I. **D**atio Coadjutorum Episcoporum & suorum superiorum est de majoribus causis, & spectat ad solum Papam; potest tamen Episcopus senio vel infirmitate perpetuâ impeditus de consensu Capituli sui, vel majoris partis illius sibi Auctoritate Apostolica, unum vel duos Coadjutores assumere: & si demens fuerit, capitulum aut duæ partes ipsius hoc facere possunt: sed si Episcopus contradicit, tunc nil innovabit capitulum, sed Episcopi & Ecclesiæ conditionem, quam cito poterit, Papæ intimare debet. Hæc intelliguntur de Coadjutoribus temporalibus, seu ad tempus vitæ ipsius coadjutandis, & clarè constant *ex cap. un. de Clerico ægrot. in 6.*

II. Ex

II. Ex quibus etiam colligitur, quod sicut Episcopus dissentiente Capitulo vel majore ejus parte, non potest optare Coadjutorem, ita Episcopo invito Capitulum Coadjutorem dare non possit; sed Papæ debeat notificare statum Episcopi & Ecclesiæ, ut ille det Coadjutorem, si videat id fieri debere. *Gloss. ad d. cap. un. de cler. agrot. in 6.*

III. Prælati inferioribus, ut Archidiaconis, aliisque beneficiatis Coadjutores temporales dare potest Ordinarius, (qui scilicet potestatem conferendi beneficia Ecclesiastica habet à Jure, à Papa, vel consuetudine) ut sunt Episcopi in suis Diocæsiibus, Abbates & alii illam potestatem habentes: ratio est, quia sicut illi hos inferiores beneficiatos possunt instituire, ac ex causis destituere, ita & majori ratione possunt etiam ex causis dare Coadjutores temporales, seu ut clariùs exprimam, Coadjutores materialiter spirituales, formaliter temporales. *Barbos. de Jure Eccles. lib. 3. cap. 10. num 22. Fagnan. in cap. nulla de concess. præb. n. 68. De Remouchamps cap. 5. n. 3. Et Conc. Trid. sess. 21.*

CIV

lega-

cap. 6. de reform. Expresse statuit, quod Episcopi tamquam Apostolicæ Sedis delegati illiteratis & imperitis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, si aliàs honestæ vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare possint.

IV. Observat autem Remouchamps *Loc. citat. numer. 6.* Hæc intelligenda esse de beneficiis non electivis, & non dependentibus à patrono Laico, quia respectu dignitatum electivarum, & aliorum beneficiorum Juris patronatûs Laici, nec Episcopi aut Legati possunt, nec Papa solet dare Coadjutores quantumvis temporales sine consensu Capitulorum aut patronorum, obstantibus, concordatis Germaniæ quoad electiva, natura verò quoad Jus patronatûs.

V. Coadjutorias perpetuas cum futura successione solus Papa concedere & conferre potest, juxta eommunem Doctorum sententiam, passim ubique receptam, ex *Conc. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 7.* Nec enim alius quisquam præter Pa-

Papam potest gratiam vacaturi beneficii concedere *cap. 2. de præbend. in 6.* Ubi Papa tamquam absolutus in beneficialibus Dominus beneficia vacatura promittere, & de iis antequam vacent, ex plenitudine potestatis disponere potest; tametsi nunquam providere soleat de beneficio qualicumque ante vacationem, sive per modum Coadjutoriae, sive aliter, nisi prævio consensu possessoris, ne præbeatursi ansa captandæ mortis alienæ. Nec solet concedere coadjutorias perpetuas in beneficiis electivis sine consensu capitulorum, imò nec in aliis quibuscumque in præjudicium & sine consensu Ordinariorum. Et si contulerit cum clausulis derogatoriis generalibus, illæ videntur invalidæ; ita ut contingente vacatione dignitatis electivæ quocumque mense, liceat capitularibus procedere ad electionem, non obstante titulo Coadjutoriali tamquam nullo, sub- & obreptitio ac inefficaci; uti & Ordinario libere conferre canonicatus in suis mensibus vacantes; idque juxta tenorem concordatorum Germaniæ; vi quorum in hisce partibus non dantur

per summum Pontificem, nec admittuntur Coadjutores in beneficiis, nisi cum consensu Ordinariorum, uti nec in electivis, nisi præviâ electione per capitulum, seu potius prævio consensu capitularium. Ita ex Branden. *ad concordata German. q. 11. num. 2. & Remouchamps loc. cit.* Laurentius Nicolarts in sua compendiosa praxi beneficiaria ex concordatis Germaniæ *tit. 1. dubio 8. §. 12.* Quocum pro resolutione secundæ quæstionis in titulo hujus capitis propositæ.

VI. Dico concordata Germaniæ comprehendunt Coadjutorias perpetuas cum futura successione, seu, quod idem est, hujusmodi Coadjutoria non obstant concordatis, quin Ordinarii plenam habeant potestatem beneficia coadjutoriis obnoxia, in sex mensibus suis vacantia libere conferendi; quia cum Papa non possit in iisdem mensibus beneficia vacantia conferre; sine expressa dictorum concordatorum derogatione, ita nec Coadjutorias cum futura successione concedere, præsertim cum eadem concordata excludant quascumque gratias præventivas & expecta-

etativas reservationes, ac collationes, & quasvis dispositiones, Ordinariorum Jus, collationem, electionem, seu dispositionem in sex mensibus impediens. Ita sæpe à supremo Rotæ Romanæ Tribunali decisum fuit; tum apud *Cassador. decis. unica de pactis. & decis. 4. de Privilegiis.* tum apud *Puteum decis. 108. lib. 2. & decis. 225. lib. 3.* quam ad longum refert Nicolarts loc. cit. §. 6.

VII. An autem Papa possit concordatis Germaniæ derogare? ardua quæstio est, in utramque partem à Doctoribus variè disputata; aliis negativam, aliis affirmativam sententiam tenentibus, ut fusè refert *Rebuff ad concord. Gallia in præfat. ad rubric de collation. vers. insuper quæro.* Respondendum mihi videtur cum Nicolarts ad concord. Germaniæ *tit. 3 dub. 3. § 5.* sub distinctione; quæ utraque sententia videtur posse concludi, quod scilicet Papa passim pro arbitrio, & sine legitima causa nequeat concordatis derogare; bene tamen dum justa & rationabilis id exigit causa, ut Ecclesiæ utilitas, seu necessitas, aliave similis pro locorum & temporum circum-

stan-

stantiis. Ratio primæ partis est, quia pacta seu contractus publici, sicut sunt concordata, utramque partem contrahentem æqualiter complectuntur, & obligant, cum sint correspectiva, & correlativorum idē sit judicium *cap. pervenit 3 x. de jurejur. Chokier ad reg. 8 gloss. ii. num 24.* adeoque nequit à Papa contrahente, sine alterius partis consensu, illis derogari, uti habetur in constitutione Julii III. Pontificis relata à *Nicolartstit. 3. dub 1. c 12.* in quâ sic expressè habetur: *Nos attendentes concordata prædicta vim pacti inter partes habere, & quæ ex pacto constant, absq; partium consensu abrogari non consuevisse, neque debere.* Et verò, si Papa concordatis sine legitima causa derogaret, non tam concordatis derogare censeretur, quàm ipsimet æquitati & rationi, à cujus tamen dictamine non censetur ex quacunque potestatis plenitudine deflectere, circa quod videri possunt ea quæ Fagnan *in cap. consultationibus de cler. agrot fuse deducit à num. 50. usque ad num. 68.*

Ratio secundæ partis sumitur ex summa & absoluta potestate à Christo immediate proveniente, quæ in Pontifice ut
capi-

Capite ministeriali & Vicario residet, de rebus, & præsertim beneficiis & officiis Ecclesiasticis in Ecclesiæ utilitatem disponendi & dispensandi. *Clem ut lite pendent in fine*, quam nec per ulla pacta à se adeò abdicare vult aut potest, quin semper penes se majorem retineat *cap. dudum 14 de præben. in 6.* eo quod quis juri privato pro se, & in suam privatam utilitatem; non verò juri publico, & quidem, ut hic, Divino, publicam Ecclesiæ utilitatem concernenti renuntiare possit. *per Ljuris gentium 7. §. ait prætor ff de pactis*, Ac proinde quod Papa ex legitima causa possit concordatis Germaniæ derogare disertis verbis sæpius decidit Rota, & ita passim tenent Doctores quos refert Nicolartus *Loc. cit. §. 10.*

VIII. Advertendum tamen est, quod quamvis in potestate Pontificiâ sit concordatis derogare, id tamen rarissime facit, vel deficiente justa causa, vel voluntate contraveniendi, ita enim Paulus V. ut refert Chokier ad preces primar. *sect. 5. c. 2. vers. his nihilominus, in una Paderborn. Canonikatûs*, dum intellexit clausulam concordatorum derogatoriam pro-

visioni suæ inferram, eandem declaravit irreplisse per inadvertentiam. Similiter anno 1613. in gratia motus proprii relata à Nicolarts *Loc. sæpe cit.* §. 13. idem Pontifex Paulus V. declaravit nec suam, nec decessoris sui mentem fuisse derogare concordatis Germaniæ in deputatione cujusdam Coadjutoriæ perpetuæ, ideoque collationem & provisionem de canonicatu & Scholastria Tungrensi vi ejusdem Coadjutoriæ ad favorem cujusdam Clerici Leodiensis factas, & litteras desuper obtentas, sub- & obreputias censendas, easque uti & prædictam derogationem concordatorum revocavit.

IX. Quod dictum est de derogatione concordatorum, etiam dicendum videtur in beneficiis Juris patronatûs Laici; sicuti enim ejusmodi beneficia non possunt conferri sine consensu Patroni, ne avertantur Christi fideles à piis foundationibus; ita nec Coadjutoria perpetua censetur per Papam concedi, nisi concurrente Patroni consensu, eo quod per hujusmodi Coadjutoriam transferatur aliqualis titulus ut infra cap. 8. dicetur.

Caput



Capit IV.

De causis ob quas dari solet Co-
adjutor ; & de qualitatibus in eodem
requisitis.

S U M M A R I U M.

1. *Episcopis & Prælatiſ morasteriorum , non autem Canonicis , aut simplicibus beneficiatis , nec Papæ , dari possunt Coadjutores.*
2. *Præcipua causa dandi Coadjutores est infirmitas Coadjuvandi , gravis & diuturna , aut incurabilis.*
3. 4. 5. *Dantur etiam ob Senectutem , dementiam , aut imperitiam.*
6. *Parochis etiam dari possunt Coadjutores perpetui.*
7. 8. *Episcopo de dilapidatione suspecto , dari potest Coadjutor , uti & pastori ob auctam populi numerositatem.*
9. *Et ob aliud quodvis impedimentum perpetuum , vi cuius ad exequendum munus suum redditur inutilis.*
10. *Causa finalis Coadjutoria perpetua à Concil.*

*cil. Trid. permiffa, est urgens neceffitas
aut evidens utilitas Ecclefia.*

11. *Hac neceffitas aut utilitas non tantum
fumitur ex infirmitate: fenio, aut alio
impedimento coadjuti; verum etiam ex
quocumque facto praterito vel futuro in
damnum vel favorem Ecclefia resultante,
& S. Pontificem movente ad dandum Co-
adjutorem.*
12. *De fubftantia Coadjutoria est, quod Co-
adjutus ob iustum aliquod impedimentum
non poffit munus fibi incumbens adimple-
re; idque iurisdictionale fit, vel cura-
tum; ratione cuius deputatio Coadjutoris
utilis vel neceffaria fit Ecclefia.*
13. *Quodque Coadjutor fit habilis & idoneus
ad fupplendum defectum coadjuti, habeat-
que qualitates in ipfo coadiuto de natura
beneficii requifitas.*
14. *Requiritur etiam confenfus coadjuti,
uti & Ordinarii collatoris, ac patroni lai-
ci, in beneficiis collativis, ficuti in electi-
vis, confenfus capituli; ac denique sum-
maria caufe cognitio coram Summo Ponti-
fice.*

Ex

EX dictis *cap. 2 num. 9. & 10.* constat quod secundum Jus commune & Concil. Trid. dari possint Coadjutores Episcopis & Prælati Monasteriorum ; non autem canonicis & simplicibus beneficiatis.

Quamvis autem & Romani Pontifices præ senio & infirmitate sæpe reddantur inidonei ad munus suum obeundum ; ideoque defectus eorum suppleri debeant per Camerarium & alios Officiales salva executione ordinis aut ministerii Pontificalis , Coadjutores tamen sibi assumere non possunt ; prout nec illis dari , deficiente authoritate , vel jurisdictione superiore. Imò nec expedit , prout in primitiva Ecclesia resolutum fuit , cum Clemens primus denominatus per S. Petrum in successorem , ne ipsius exemplum induceret consuetudinem Ecclesiæ perniciosam , renunciavit , remisitque ad electionem , iudiciumve Ecclesiæ , ut refert Bellarmin. *de Roman. Pontif. Lib. 2. cap. 5. Turrian. lib. 7. constitut. Apost. cap. 37.*

II. Præcipua causa dandi Coadjutores Episcopis & Prælati , est gravis & diuturna , aut incurabilis horum infirmitas , ad-

D

mini-

ministrationem officii impediens, *c. Scriptum 7. q. 1. c. un. de cler. agrot. in 6.* veluti
 si rector Ecclesiæ usque adeo sit lepra in-
 fectus ut altari servire non possit, *c. de re-
 ctoribus 3. x. de cler. agrot.* talis enim non
 est ab officio totaliter removendus, sed ipsi
 dumtaxat de Coadjutore providendum,
 per *d. cap. de rectoribus, & cap. ex parte tua
 s. x. d. t.* Nec obstat *cap. tuanos. 4. dicto tit.*
 dum dicit, Sacerdotem removendum
 esse ab Administrationis officio; quia de-
 bet removeri quoad exercitium, sed jus
 prælaturæ remanebit penes illum; sic e-
 nim prouidetur infirmo & populo. ut in
*cap. fin. d. t. Nicol. Garz. de benef. p. 4. cap.
 s. n. 5. & 6.* Dixi gravis & diuturna, aut
 incurabilis infirmitas, ut lepra, paralysis,
 apoplexia &c. quia ob leuem morbum
 Coadjutor dari non debet, ille enim non
 impedit hominem, quin possit actiones
 suas exercere, *cap. un. de cler. agrot. in 6.*
Barbosa ad hoc. cap. n. 8. Adeoque febris
 quartana, vel alia debilitas levis non suf-
 ficit, nec podagra est ejus gravitatis ut
 posset ad hunc effectum, pro legitima
 causa reputari; nec dolor capitis, nisi fo-
 ret magnus, acerbus, intolerabilis, ac de-
 ni-

nique talis qui impediret administrationem officii.

III. Secunda causa, est senectus, quæ morbo æquiparari solet, juxta illud. *Senectus ipsa morbus est.* & constat ex *cap. un. §. fin. si autem Episcopus, de cler. egrot. in 6.* Ubi disjunctivè ponitur: Episcopus senio, aut incurabili morbo gravatus. Ut autem coadjutoria concedatur propter ingravescentem ætatem coadjuti, requiritur ætas sexaginta annorum juxta *Barbos in cap. un. de cler. egrot. in 6. num. 7. & Gopzal. ad Reg. §. cancell. gloss. §. 9. n. 84. & seqq. Tusch. verò lit. c. Concl. 402.* requirit 70. annos: sed rectius hoc in casu videtur senium, annorum numero non definiendum, sed corporis viribus, ita ut virium robore destitutum esse oporteat, qui verè senex aut decrepitus dicitur; & hoc relinquendum Judicis arbitrio, secundum subjectam materiam. Vide *Gail. lib. 1. observ. 92. num. 7. & Carolum Felicem de Matta, num. 141. ubi requirit. 55. annos.* estque hic observandum, quod juxta constitutionem pontificiam, non omnibus promiscue decrepitis concedendus sit Coadjutor, sed iis tantum, qui senio sunt gravati, & adeo

Dii

im-

impediti, ut officium suum exercere nequeant.

IV. Tertia causa est dementia. Dicto *cap. un. de cler. egrot. in 6.* ubi: si verò Episcopus demens fuerit. Voluntque dici eum mente captum, qui interrogatus ad rē non respondet, & mentis suæ sensū nescit explicare, aut memoriā non habet ordinatam Barbos *ad d. c. un. num. 4.* verum quis dicendus demens, ex actibus & signis, ex factis & verbis potissimum dignosci debet.

V. Quartò etiam ob imperitiam dari possunt Coadjutores ex Barbosa *de jure Eccles. lib. 3. cap. 10. num. 12.* ita enim habet decretum Conc. Trid. *sess. 21. cap. 6.*, quia illitterati & imperiti parochialium Ecclesiarum rectores, sacris minùs apti sunt officiis, Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, eisdem illiteratis, si alias honestæ vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare; partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione, vel exemptione remota. quin imo illiteratus ad ordinem clericatûs non debet promoveri;

veri; quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis *cap. illiteratos. dist. 36.* non minus etiam simplici Episcopo, & ad regimen haud idoneo dandus Coadjutor *c. qui frater. 7. q. 1.*

VI. Ubi quoad parochos observa ex Remouchamps *cap. 6. num. 24.* quod nisi Concil. Trid. *sess. 25. cap. 7.* taxativè, seu determinate excepisset Ecclesias Cathedralis & monasteria; salvâ Ecclesiæ censurâ, viderentur beneficia Jurisdictionalia, aut curata, nempe dignitates cum Jurisdictione, & Rectoriæ pastorales contineri sub exceptione Conciliari, tamquam sub ratione finali, quia sæpe concurrunt causæ legitimæ, quibus plurimum interesse potest Ecclesiæ & subditorum, ut Coadjutores dentur similibus Prælati & Rectoribus, servatis tamen solemnitatibus ejusdem Concilii.

Sicuti enim Episcopatibus & Monasteriis dari permittit concilium Coadjutorias perpetuas in compensam laborum; sacri autem canones antiqui, imò idem concilium *sess. 21. cap. 6. de reform. supra cit.* jubent infirmis prælati, & illiteratis Rectoribus parochialium dari Coadjutores,

D i i i


qui

qui vices illorum suppleant; quis etiam hisce denegabit clausulam futuræ successionis per modum accessionis, & in compensationem? vel saltem facilius pro causæ qualitate & æquitate, ac bono Ecclesiæ, subditorumque salute poterit Summus Pontifex ex plenitudine potestatis supplere, seu derogare *dict. cap. 7. sess. 25.* uti posse supra diximus. *cap. 2. num. 11. & 12.*

VII. Quinto adjungi potest Episcopo de dilapidatione suspecto Coadjutor, ut patet ex *cap. Venerabili. 37. x. de offic. & potest. Iud. delegati.* Sed talis Coadjutoria maxime concernit administrationem temporalem, vide *Barbos lib. 3. juris Eccl. univers. cap. 10. num. 24.*

VIII. Qui etiam post alios citatos *ibidem num. 16.* docet propter auctam populi numerositatem providendum esse Rectori Ecclesiæ parochialis de Coadjutore; non enim datur justa causa dividendi parochiam, sed adhibendi ministros Coadjutores quando solus Rector eodem tempore pluribus infirmis providere non potest, ut decidit Rota in Aquilana nullitatis electionis 10. May 1613. apud Farinac. *decis. 484. num. 5. part. 1. recent.*

IX.



IX. Tandem etiam alias inhabili, ut non possit muneri suo præesse, datur Coadjutor, dum alio quovis perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem officii redditur inutilis. *cap. un. de cler. a-grot. in 6.* ut si mutilatio, vel omnimoda cæcitas alicui obveniat, sic enim multa tenent facta, quæ à principio fieri prohibentur, ut tales non fuissent ordinandi, sed jam tolerandi.

X. Causæ hactenus allatæ sunt quodammodo materiales, ob quas dari possunt Coadjutores, eæque potissimum concernunt Coadjutorias temporales & revocabiles, expresso jure permissas ac constitutas: si autem inquiratur causa finalis Coadjutoriaæ perpetuæ & irrevocabilis à Conc. Trid. *sess. 25. cap. 7.* permissæ illa satis explicitè ibidem declaratur, hisce verbis: *Quod si quando Ecclesia Cathedralis aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Coadjutorem &c.* quæ necessitas, vel utilitas, licet sit loco causæ finalis principaliter, respectu adhibendi Coadjutoris, qui ejus onera exerceat in abstracto, & separatim à gratia super futura successione; nihilomi-

Div

nus

nus quia raro invenirentur personæ habi-
 les, idoneæ, & qualitatibus requisitis ador-
 natæ, quæ vellent tantum onus gratis sus-
 cipere; forsitan ut post obitum Coadju-
 ti, consumptosque labores in vinea Do-
 mini, in idoneis seu minus dignis, autho-
 ritate eorum, quibus Jus collationis, vel
 alterius dispositionis competeret, pro-
 movendis, cedere cogerentur; Concil.
 Trid. ad facilius obviandum necessitati
 Ecclesiæ, censuit non denegandam gra-
 tiam futuræ successionis per modum ac-
 cessionis, in compensam laborum. Vul-
 gati enim Juris est, rationem dispositionis
 principalis, locum habere, & facile tra-
 hi ad necessaria, multaque concedi per
 modum accessionis respectu principalis,
 quæ seorsim denegarentur. *L. 26. de ac-
 quir. rer. Domin.* Nilque æquius quam
 ut ille qui ex disquisitione Pontificia, vel
 alia legitima, est inventus aptus, onusque
 Prælati supplevit, etiam post illius obi-
 tum, cæteris præferatur, quamvis æque
 aut magis idoneis: sic ut in quantum fa-
 vor Coadjutoris, sit etiam pars causæ fi-
 nalis, non tamen alio modo, quam secun-
 dario, in ordine ad assecutionem princi-
 pa-

palis finis: ut scilicet attento senio, infirmitate aut impedimento coadjuti, vel alia quavis necessitate, aut utilitate, prospiciatur Ecclesiæ, ac subditorum salutem. *Put. lib. 2. decis. 98. & lib. 3. decis. 226. num. 13.*

XII. Causa autem finalis principalis, non tantummodò consideratur pro modo infirmitatis, senii, aut alterius impedimenti Coadjuti, nec enim Concil. Trid. taxativè aut dererminatè, sed generaliter loquitur: verùm etiam aliarum quarumcunque necessitatum, aut utilitatum ex quocunq; factò præterito vel futuro resultantium in damnum vel favorem Ecclesiæ; ita ut causæ motivæ, ob quas summus Pontifex coadjutorem perpetuum deputare solet, sint potissimùm, 1. senectus Episcopi 2. si damnum sede vacante possit imminere Ecclesiæ. 3. si per Coadjutoriam evitentur intestinæ divisiones & insidiæ vicinorum. 4. si Ecclesia per Coadjutorem sibi contra machinationes scutum, & contra injusta obtrectantium litigia, justitiæ promotionem acquirat. 5. ad conservandam religionem, & Ecclesiæ immunitatem, personasque Ecclesiasticas ab infidelium inju-

D v

riis

riis defendendas : hisce enim malis & periculis per Coadjutoriam cum futura successione obviatur, & securè provide- tur; dum sede postmodum vacante, præ- latura ipso jure & facto, absq; strepitu, dis- crimine, metu, vel scandalo, continuatur in Coadjutorem, huicque jus in re acqui- ritur, absq; eo, quod alio titulo, canoni- zatione gratiæ vel alio quovis, admi- niculo indigeat, quàm actu executivo, capiendo nimirum possessionem natura- lem.

XII. Ex dictis sequitur de substantiâ Coadjutoriæ esse, primò quod Coadjutus, cujus personæ per canonicam institutio- nem erat electa industria, non possit mu- nia & onera sibi suoque beneficio incum- bentia, præ senectute, vel infirmitate in- curabili, aut propter numerositatem po- puli, curæve gravitatem, seu negotiorum multitudinem, vel aliud quodvis justum impedimentum subire seu adimplere. Se- cundò, ut beneficium sit jurisdictionale, aut curatum, seu ad aliquam administrati- onem aut officium pro servitio Ecclesiæ, vel populi regimine obligans. Tertiò, quod

quod necessarium sit, vel utile futurum
Ecclesiæ aliquem deputari Coadjuto-
rem.

XIII. Quartò quod Coadjutor sit habi-
lis & idoneus ad supplendum defectum
Coadjuti; peragendumque munus bene-
ficio incumbens, habeatque actu, seu po-
tentiâ intra annum habiturus sit ætatem
& qualitatem in ipso Coadjuto de natura
beneficii, jure vel statuto, aut consuetudi-
ne requisitam. *Selva tract. de benef. part. 2.
quest. 4. num. 4. Rota divers. part. 3. decis.
347. num. 3.* Unde Coadjutor Episcopi de-
bet saltem infra annum attingere ætatem
30 annorum. completorum; quæ ætas se-
lecta videtur; quod Salvatorem nostrum
ea ætate baptizatum & concionatum fuis-
se legimus, *can. presbiter dist. 78.* Cæteri
verò Prælati, Abbates, Præpositi, Decani,
& alii jurisdictionem aut curam anima-
rum habentes, annum vigesimum quin-
tum, *c. cum incunctis. §. inferior de elect.
Conc. Trid. sess. 24. cap. de reform.* uti & Co-
adjutores Episcoporum in temporalibus,
ad exemplum tutoris. Sic etiam monia-
lis sufficienter qualificata, potest deputa-
ri in coadjutricem Abbatissæ vel Priorissæ.
cum

eum possit esse Abbattissa vel Priorissa. *Panorm. ad c. fin. x. de cler. egrot.* Cæterū unus Coadjutor non potest dari pluribus simul, sed successivè, *arg. cap. presenti 3. de offic. legati in 6.* quamvis duo Coadjutores dari possint uni clerico, quorum unus spiritualia alter temporalia administret, at tamen non nisi duo deputandi, *juxta gloss. ad cap. un. de cler. egrot. in 6. idque propter gravamina expensarum, ad quæ tenetur Ecclesia.*

XIV. Quinto requiritur, ut Coadjutor in personam Coadjutoris consentiat; alias gratia sit ipso Jure nulla propter metum captandæ vel desiderandæ mortis ejus; licet velint nonnulli, in casu incapacitatis consensûs, posse suppleri per testimonium vel litteras commendatitias Ordinarii, vel aliter judicio Ecclesiæ, super fidelitate & probitate Coadjutoris petiti, ipsiusque in prælatum affectione.

Sexto, in beneficiis & dignitatibus collativis requiritur consensus Ordinarii Collatoris & Patroni Laici: uti & in electivis consensus collegii seu capituli, quibus Papa non censetur, nec potest auferre Jus aut derogare, sub distinctione tamen *cap. 3. num. 7. & 9. tradita.* Septi-

Septimo, ut in præmissis interveniat summaria causæ cognitio coram Summo Pontifice, seu sacro Consistorio, vel sanctæ Sedis Legato. Quamvis enim textus Concil. Tridentini de Coadjutoria perpetua *sess. 25. cap. 7.* videatur de forma requirere cognitionem judicialem; tamen illa particula *diligenter*, non aliud vult, quam indagacionem & scrutacionem aliquam extrajudicialem causarum, vel necessitatis, vel utilitatis, utpote quod illa disquisitio judicialis pertineat dumtaxat ad contentiosa judicia; in gratiosis vero Principes contententur, moverique soleant informationibus & attestacionibus extrajudicialibus. *Innoc. inc. cum pridem numero. 9. in vers. indulgere. x. de renunciat.* quod satis comprobatur per complexum, & *qualitates concurrere certum sit*, quasi sufficiat quocumque modo Papam consistorialiter fieri certum & plene informatum. Requisita tamen cognitio, capienda videtur in pleno Consistorio propter arduitatem & momentum negotii. *arg. c. un. de elect. in 6. in princ.* uti tradit Flamin. Paris. *de resig. lib. 7. q. 20. num. 15.*

Ca-



Caput V.

An Coadjutor cum futura successione, eligi debeat à capitulo, an vero postulari? & an sufficient majora dumtaxat & saniora Capituli vota seu suffragia?

S U M M A R I U M.

1. *Ex eo quod requiratur consensus capituli in electivis dignitatibus, diversa oriuntur dubia, hic proposita.*
2. *Coadjutor perpetuus non potest eligi, sed debet postulari, prout manifeste disponitur in Iure canonico.*
3. *Idem etiam probatur ex natura electionis canonicae, & Coadjutoria perpetua.*
4. *Cur Coadjutores perpetui passim soleant aut dicantur eligi à capitulis.*
5. *Dum Coadjutores dicuntur eligi, nomen electionis sumitur generice pro quacumque promotione ad dignitatem Ecclesiasticam, non specificè pro electione juxta formam*

nam

mam in cap. quia propter de elect. peragenda.

6. *In negotio Coadjutrix non potest concurrere electio cum postulatione, nec obstare potest stylus, aut consuetudo contraria.*
7. *Rejicitur assertum cujusdam Opponentis contra hanc nostram sententiam, ex qua concordata nullatenus leduntur.*
8. *Capitularis, alibi Episcopus non indiget Indulto vel Breui eligibilitas: tametsi variis de causis illa indulta subinde petantur à summo Pontifice.*
9. *Ad postulationem Coadjutoris perpetui sufficiunt majora & saniora Capituli suffragia, quod variis rationibus probatur.*
10. *Nec huic doctrinae obstat regula juris 29. in sexto quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, nec obstant concordata Germania.*
11. *Defaëto plures in Germania cum sola pluralitate, votorum postulati, à Sede Apostolica admissi sunt.*

I. Ex

EX dictis *cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 14.* constat Coadjutorias cum futura successione non concedi à summo Pontifice sine consensu capitulorum in beneficiis & dignitatibus electivis; præsertim in Germania nostra, vi concordatorum ejusdem nationis cum sancta Sede initorum juxta dicta *cap. 3. num. 6.* Hinc exurgit quæstio I. an Coadjutor perpetuus eligi debeat, an vero postulari à capitulo? Secunda, an in postulatione illa requirantur unanimia: aut duæ tertiæ ut vocant, an vero majora dumtaxat & saniora vota seu suffragia? tertia an prærequiratur indultū seu Breve excitatorium quo sumus Pontifex Episcopum Coadjuvandum & Capitulum exhortetur ad postulandum Coadjutorem? Quarta, an Summus Pontifex Coadjutorem à Coadjuvando & majori ac saniori parte capituli postulatum teneatur deputare? duas priores quæstiones hoc capite, & duas posteriores sequenti resolvemus, ex resolutione primæ quæstionis etiam constabit an in habente canonicum aliquod impedimentum prærequiratur Indultum Eligibilitatis, nec ne. Ad primam ergo quæstionem, respondeo:

II. Co-

II. Coadjutorem perpetuum electione propriè & specialiter dictâ eligendum non esse, sed postulandum, vel in ejus deputationem à Summo Pontifice faciendam dumtaxat consentiendum. Ita Cardin. de Luca, *de canon. & capit. disc.* 27. num. 4. & 25. & *tit. de regul. disc.* 53. num. 14. Nicol. de Remouchamps *cap. 10. num. 36. & seqq.* & manifeste patet ex *cap. un. de cler. agrot. in 6. ibi; Coadjutorum Episcoporum, & Superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de causis majoribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea, consuetudine non obstante contraria, tantummodo postulandam.*

Nec obstat quod dispositio *dicti cap. un.* sit restricta ad Coadjutores temporales; quia fortius urget in Coadjutoribus cum futura successione, cum nemo possit tribuere Jus in beneficiis vacaturis, nisi solus Papa, *text. in cap. 2. de præbend. in 6.* Sicuti etiam non obstat, quod in eodem *cap. un.* detur facultas capitulis deputandi Coadjutorem Episcopo, qui tali infirmitate gravatus sit, ut quid velit, nolit, exprimere nesciat, quia hæc facultas est merè delegata, ut patet ex contextu,
E
ibi,

ibi, *Authoritate Apostolica*, & in casu speciali dementiæ, cum restrictiva, quod duæ ex tribus partibus capituli concurrere debeant, ac proinde non est generaliter intelligenda: imò specialis dispositio in uno casu nedum non tribuit facultatem arguendi, sed potiùs denotat, quod in aliis casibus Jus commune sit in contrarium.

III. Ratio responsionis nostræ est, quia electio propriè & specificè sumpta est personæ idoneæ ad dignitatem vel munus aliquod vacans canonicè facta vocatio; eaque non nititur gratia, sed Jure; Coadjutoria autem perpetua est gratia qua Summus Pontifex ob publicam Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem deputat personam idoneam, cum onere saltem habituali, in sublevamen beneficiati, cum certa spe successionis in eodem beneficio per mortem coadjuti vacaturo: ergo ad hanc obtinendam non est procedendum via electionis propriè dictæ, sed postulacionis; tum quia Coadjutoria non est de dignitate vel beneficio actu vacante, sed vacaturo; tum etiam, quia innititur gratiæ,

tia, & ante deputationem Summi Pontificis nullum Jus tribuit.

Quod autem electio propriè dicta jus ad rem tribuat electo ante confirmationem, in confesso est apud omnes Canonistas. Et quod electio sit de dignitate actu vacante, non vacatura, patet ex *cap. bone 36. x. de elect. & can. nullus 7. dist. 79.* Et Carolus de Matta *num. 47.* assertit indubitate Juris esse, facultatem eligendi, habere in se conditionem tacitam quidem ex natura rei, & expressam in *cap. quia propter x. de elect.* quod sede tantummodo vacante, fieri queat; ex illis verbis: *cum electio fuerit celebranda*, dictio enim *cum* adjecta verbo futuri temporis importat conditionem, ut ex variis Juris civilis textibus ibidem probat: unde etiam Ludov. Engel, colleg. Univ. Juris canon. *lib. 1. tit. 6. de elect. num. 1.* electionem describit, quod sit, *personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium seu eligentium canonica vocatio.* Idem expresse tradit Andr. Vallensis *tit. 6. de elect. §. 1.*

IV. Nec obstat primo, quod Coadjutores perpetui passim eligi soleant, aut potiùs eligi dicantur à Capitulo, Respon-

deo enim, id non ideo fieri, quasi electio propriè dicta cum formalitatibus *in cap. quia propter 42. x. de elect.* & alibi à Jure præscriptis, ad deputationem Coadjutoris prærequiratur: sed tantum ut actus reddatur magis celebrer, & ut privatæ singulorum Capitularium intentiones, odii declinandi causa, per secretum scrutinium abscondantur.

V. Nec obstat secundo, quod Papa utatur verbo *eligatis*, quando per suas literas in forma Brevis hortatur Canonicos alicujus Cathedralis, ad eligendum Coadjutorem cum futura successione, dicendo: *Vos hortamur, ut illum Coadjutorem cum futura successione eligatis, qui virtute &c.* uti nec illud, quod tradit Georg. Branden ad concordata Germaniæ quæst. II. *de stylo non dantur in Germania majoribus beneficiis Coadjutores, nisi per electionem cum futura successione per speciale indultum Pontificis:*

Respondeo enim cum Carolo de Matta num. 171. quod nomen electionis ibidem generice sumatur quatenus importat promotionem ad dignitatem Ecclesiasticam, & tamquam genus sub se, *postulatio-*

tionem specificam, & nudum consensum naturalem continet. Vel etiam Coadjutores eligi dicuntur, eo quod plerumque per viam scrutinii in electionibus soliti ad eorum denominationem, seu ad explanandum Capituli desiderium procedatur: strictè verò loquendo, juxta *cap. un. de cler. egrot. in 6.* pro mera postulatione nulli certæ formæ alligata habenda est.

VI. Unde etiam in negotio Coadjutoria dari nequit famosus ille casus *cap. scriptum de elect.* postulationis concurrentis cum electione: & notandum, quod in *d. c. un.* expresse dicatur Coadjutorem à Sede Apostolica, *consuetudine non obstante contraria, tantummodo postulandum*: ex quo manifeste constat, stylum, aut consuetudinem contrariam, si quæ esset, non obstare quo minus postulari debeat; & hæc postulatio, licet per scrutinium fieri possit, hoc tamen pro forma non requiritur, sed sufficit, ut fiat per simplicem actum capitularem, ut tradit de Matta num. 163.

VII. Ex his etiam patet falsum esse assertum cujusdam Opponentis, quod scilicet nullibi à Jure aut ab interpretibus disponatur aut tradatur Coadjutorem per-

petuum, si capitularis sit, & de cætero nullo impedimentum canonicum habeat, non posse eligi electione specificè sumptâ, sed debere postulari; contrarium enim manifeste constat ex *d. cap. un. de cler. egrot. in 6.* Et ex authoribus pro responsione nostra citatis; quos Opponens ille utique non legerit.

Nec dici potest quod lædantur concordata Germaniæ, aut Jus electionis Episcopi vi eorundem Capitularibus competens, iisdem adimatur; si electione specificè sumpta Coadjutorem eligere nequeant; quia per postulationem, vel capitularem consensum majoris & sanioris partis, omnino conservatur jus capituli per concordata Capitularibus attributum, quibus tempore Sedis vacantis competit electio canonica propriè dicta, & tempore Sedis plenæ, dum necessitate vel utilitate exigente, expetitur Coadjutor, postulatio vel simplex actus Capitularis explicativus consensûs.

VIII. Ex præmissis etiam sequitur & patet, quod capitularis, alibi Episcopus, nullatenus indigeat Indulto vel Brevis eligibilitatis; tum quia in hoc casu electio
cano-

canonica locum non habet, ut jam proba-
 rum est; tum etiam quia Coadjutoria cum
 futura successione compatibilis est cum a-
 lio Episcopatu, eo quod Coadjutor non
 habeat verum titulum, nec beneficium,
 nec teneatur ad residentiam, nisi causati-
 vam saltem, id est, ut de bonis suis satis-
 faciat pro interessentia non soluta, ut post
 Gonzal. & Chokier *ad reg. 8. cancell. Ni-*
col. Garc. Azor. tom. 2. lib. 3. c. 2. q. 4. &
 alios docet Barboza *ad Conc. Trid. cap. 7.*
sess. 25. de reform. num. 14. Unde sufficit
 quod alia Coadjutoris postulati beneficia
 exprimantur in litteris ad Summum Pon-
 tificem, qui postea cunctis maturè discus-
 sis, eundem deputando, omnia impedi-
 menta canonica tollere, & quoad illa di-
 spensate censetur. Prout in hac ipsa de-
 putatione ceu confirmatione Celsissimi
 Principis *Lotharii Francisci* Episcopi Bam-
 bergensis in Coadjutorem Moguntinum,
 per SS. D. N. Innocentium XII. factum
 esse constat.

Petuntur tamen huiusmodi indulta à
 Sede Apostolica, subinde sat tempestivè,
 pro casu Sedis vacantis, tempore gravis &
 periculosa infirmitatis alicujus Episcopi,

E i v

quia

quia Sede vacante proceditur ad electionem canonicam, cui obstat alius Episcopus: vel etiam petuntur pro coadjutoribus, non ideo, quod in illis procedatur per viam electionis canonice; sed ut per huiusmodi Indultum constet Capitularibus Summum Pontificem de se satis inclinari ad illum deputandum in Coadjutorem, si à coadjuvando, & majori ac saniori Capituli parte postuletur; quamvis tamen ex viva vocis oraculo, aliove rescripto, etiam constare possit de inclinatione & propensa dispositione Summi Pontificis ad hunc vel illum deputandum, casu quo postularetur.

Absolute tamen necessarium non est tale Indultum, vi cuius scilicet aliquis remoto impedimento habilitetur ad electionem propriè dictam; cum ut supra dictum est, in negotio Coadjutorie nunquam detur locus electioni canonice propriè dictæ: imò huiusmodi indultum, quod proinde ad hunc finem prodesse nequit, in tantum obesse potest impetranti, illudque producenti, ut pars adversa eidem in Iudicio vel Consistorio objicere possit, id ipsum quod Card. de Luca, olim

Agens

Agens vel Advocatus Maximiliani Hen-
rici Archi-Episcopi Coloniensis glor. mem.
Romæ objecit Ferdinando Episcopo Pa-
derbornensi in casu Coadjutorix Mona-
steriensis, quod scilicet patefecerit ambi-
tum Coadjutorix, per petitionem & pro-
ductionem talis indulti; quamvis tamen
ipse Card. de Luca *de can. & capit. disc. 27.*
ejusdem argumenti facilem resolutionem
agnoscat. jam

IX. Ad secundam in titulo hujus capi-
tis propositam quæstionem respondeo, in
postulatione Coadjutoris perpetui ad di-
gnitatem electivam, non requiri unani-
mia, nec duas tertias, sed sufficere majo-
ra & saniora capituli vota seu suffragia.
patet *ex cap. cum in cunctis 1. & cap. ex par-
te tua 4. x. de his que fiunt à majori parte ca-
pituli. Layman. l. 1. tit. 5. c. 3. de postulat.
prælat. cap. 3. Bonæ.*

Probatur primo, quia in omni postu-
latione quæ nihil aliud est, quam capituli
vel collegii coram superiore facta petitio
alicujus personæ in prælatum, idoneæ qui-
dem, sed cui, quoad electionem proprie
dictam, obstat defectus canonicus, per se
loquendo sufficiunt majora & saniora Ca-

E v

pi-

pituli suffragia; non minus quam ad electionem canonicam; cum quoad hoc, nulla inter utramque ex Jure possit afferri disparitas.

Dixi per se loquendo; quia per accidens in concursu electionis cum postulatione, ad hanc requiruntur duæ tertiæ, ut patet ex *cap. scriptum 40, x. de elect.* Cum autem nullus Coadjutor perpetuus, quantumvis etiam capitularis, & nullo impedimento canonico ligatus, electione propriè & specificè sumpta eligi queat: ut supra probatum est, constat ad postulationem omnis & cujuscumque Coadjutoris sufficere majora & saniora capituli suffragia.

Probatum secundo, quia si singulorum consensus requireretur, ita ut ex dissensu vel contradictione unius vel alterius capitularis vitaretur postulatio, sequeretur hoc absurdum, quod scilicet contra dispositionem Conc. Tridentini, nunquam foret locus futuræ successionis: quia licet omnes consensissent, tamen Canonicis ab illo tempore receptis, post obitum Coadjuti residentibus, & eadem ratione reclamantibus, pateret via ordinaria electio.

tionis, & consequenter dispositio Conc. Tridentini redderetur elusoria, & frustra-nea, contra juris regulam, qua nunquam debet capitalis interpretatio, per quamvis legis eludatur. Nec contra hoc objici posset, quod sufficeret omnes semel consensisse; quia si major pars Capituli non possit obligare contradicentes, ut singulos & pares, multo minus poterunt obligari absentes & successores, eo quod capitula nunquam moriantur, morerentur autem, si deberet haberi ratio singulorum.

X. Nec obstat regula juris, 29. in 6. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. uti nec concordata Germaniæ, licet Jus activum eligendi successorem v.g. Episcopum, tempore Sedis vacantis, vigore illorum ad singulos vocales pertinens, per præventivum illum consensum majoris & sanioris partis in deputationem Coadjutoris à Summo Pontifice faciendam, omnibus & singulis auferri videatur.

Illa, inquam, non obstant, quia Jus eligendi Episcopum competens capitulis juxta concordata Germaniæ, tam ex natura rei, quam ex dispositione Conc. Trid.
sess.

sess. 24. de reform. cap. 1. & 12. Non in favorem Canonorum, ut singulorum, sed ipsorum capitulorum & Ecclesiarum pro pace & tranquillitate Ecclesie universalis, per verba illa concordatorum: *nisi ex rationabili & evidenti causa*, illis concessum est, atque ita Capitulum seu major pars ejusdem consentire potest, & per ejusmodi consensum cessat præjudicium, & Jus Capituli conservatur.

Et hoc confirmatur primò, quia consensus Capituli non aliter adhibetur, quam sub beneplacito Sanctissimi, qui per appositionem manûs, cognitionemque causarum necessitatis vel utilitatis Ecclesie, ac denique concessionem Coadjutorie, facit illum capitularium consensum de voluntario necessarium, inducitque necessitatem juris assumendi Coadjutorem, ut colligitur ex Innoc. *in c. fin. X. de major. & obed. Card. Tusc. G. concl. 72.* quo casu clarum est sufficere majorem partem Capituli.

Confirmatur secundò, quia dum dicitur omnium consensum requiri, quando res pertinet ad singulos, & de jure singulorum agitur, id intelligendum est, dum negotium dependet in solidum ab eorum

po-

potestate, non autem, quando non tantum concurrere debet, sed etiam prævaleret potestas & authoritas alterius; ad Coadjutoriam autem non sufficit consensus omnium & singulorum Capitularium, si desit legitima causa, & authoritas Sanctæ Sedis. Hinc etiam Romæ in deputatione Coadjutorum, non tam attenditur quid singulis vocalibus placeat, quam quid Ecclesiæ hic & nunc utile, aut necessarium sit.

XI. Et sic de facto Maximilianus Henricus Coloniae, Carolus Caspatus Treviris, Ferdinandus Episcopus Paderbornensis Monasterii, & plures alii ad Coadjutorias perpetuas cum sola pluralitate votorum Capituli admissi sunt. Nec dici potest, nullum illorum postulatum, sed omnes fuisse electos; quia ut supra ex jure & ratione solidè probatum est, utque expresse tradit Card. de Luca in annotationibus ad Concil. Trid. sess. 25. cap. 7. discursu 45. n. 10. *pro Coadjutoria non intrat jus electionis, & ista non est vera & formalis electio, cum totum pendeat à gratia & voluntate Papæ.*

Ca.



Caput VI.

An ad postulationem Coadjutoris prærequiratur Breve Apostolicum, quo Episcopus coadjuvandus, & capitulum ad petendum Coadjutorem excite- tur: & an Summus Pontifex Coadjuto- rem à coadjuvando & majori ac faniori parte Capituli postulatum teneatur admittere, seu depu- tare?

S U M M A R I U M.

1. *Summi Pontifices subinde dederunt Breve exhortatorium ad Coadjuvandum & Capitulares ante postulationem Coadjuto- ris.*
2. *Illud tamen de jure non prærequiritur.*
3. *Particula datur apud jurisconsultos signi- ficat translationem juris.*
4. *Solemnitas, etiam substantialis præpo- stere adjecta non vitiat, quoties non ces- sat causa finalis.*
5. *Aliqui defacto sine Breve exhortatorio præ-*

- præhabito, Coadjutores deputati sunt.
6. Papa non tenetur ex iustitia strictè dicta deputare Coadjutorem à Coadjuvando, & majori parte Capituli postulatum.
 7. Id tamen facere consuevit ex æquitate & honestate, ac pacis & tranquillitatis conservandæ gratiâ.
 8. Maxime in Germania, vi concordatorum.
 9. Coadjutoria juxta sensum Conc. Tridentini expedita, non est odiosa. sed favorabilis respectu Papæ concedentis, Ecclesiæ & Coadjuti.
 10. Sicut Pontifex vi concordatorum ex iustitia tenetur electiones canonicas confirmare; ita lege honestatis & urbanitatis Coadjutorem pro utilitate & necessitate Ecclesiæ ritè postulatum, causâ cognitâ, deputare.
 11. Passerinus sententiæ nostræ, non contrariatur, sed patrociniatur.
 12. Approbatio & confirmatio hujus methodus per Breve Apostolicum SS. D. N. Innocentii Papæ XII.

AD primam quæstionem propositam respondeo, licet gravissimis de causis Summo Pontifici notificatis hujusmodi Breve excitatorium aliquando à Sancta Sede emanarit; illud tamen de Jure nullatenus prærequiri. Prima pars responsionis patet ex eo: quod (*juxta illud capituli 3. de elect. in 6. ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum*) Summi Pontifices futuris Ecclesiarum periculis, maturè prævisis, occurrere, earundemque tranquillitati paternâ sollicitudine prospicere volentes, Episcopum aliquando & Capitulares providè monuerint, ut Coadjutorem cum futura successione tempestivè postularent, prout *Georg. Branden. ad concord. German. quæst. II. Passavii*, aliisq; in locis contigisse refert.

II. Probatum secunda pars responsionis, quia unica & sola ratio præquirendi tale Breve Apostolicum, sumitur ex dispositione Concil. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 7.* ubi sic habetur: quod si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasteriiurgens necessitas, aut evidens utilitas postu-

stulet, prælato dari Coadjutorem, *is non alias* cum futura successione *detur*; quàm *hæc causa prius* diligenter à Sanctissimo Romano Pontifice *sit cognita*, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à Jure & Decretis hujus sacræ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur, alias concessionem super his factæ subreptitiæ esse censeantur.

III. Sed hæc dispositio non obstat, quia *Ly datur*, in quo sola difficultas est, ibidem intelligi debet, de datione seu deputatione, & collatione absoluta ac ultimata, vi cuius Coadjutori, causis per Summum Pontificem ritè cognitis, confertur Jus in re fictum, operaturum plenos effectus post mortem Coadjuti: nam particula *datur* apud Jurisconsultos significat & operatur translationem Juris.

Et hæc interpretatio istius conciliaris dispositionis exinde confirmatur primo, quia cum de pluribus cognoscendum sit, antequam Coadjutor detur seu depute- tur, videlicet an adsit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, an Coadjuvandus & Capitulum consentiat, an persona Coadjutoris sit sufficienter qualificata; patet quod

F

illud

illud *Ly detur* in allegato textu Tridentini non intelligatur de datione illa inchoativa per Capitulum, sed de absoluta & ultimata per Summum Pontificem,

IV. Confirmatur secundò, quia cum præcipua causa finalis istius dispositionis consistat in informatione & cognitione causarum per Summum Pontificem capiendâ; & anticipata postulatio, sive consensus Capituli, absque Brevis Apostolico non faciat cessare ejusmodi causam finalem, nec eidem præjudicet; talis anticipatus actus non vitiat; quia solemnitas, etiam substantialis, præposterè adjecta non vitiat, quoties non cessat causa finalis, ut post alios docet *Gail. l. 1. observ. 101. num. 10.*

V. Et sic recentissime Serenissimus Joseph Clemens Elector Colon. Hildesii de consensu Coadjuvandi etiamnum superstitis, sub beneplacito Apostolico capitulariter postulatus, causâ postmodum cognitâ, sine ullo Brevis Apostolico exhortatorio (quod quidam Opponens male confundit cum Brevis eligibilitatis ad plures Episcopatus) antecederè habito, à Sanctissimo Domino nostro Innocentio

XII,

XII. deputatus fuit; uti & modo Celsissimus Lotharius Franciscus S. R. I. Princeps & Episcopus Bambergensis, sine ullo Brevis Eligibilitatis aut Exhortatorio antecedenter habito deputatus est ab eodem SS. Domino N. Innocentio XII. Coadjutor Moguntinus.

VI. Ad secundam in titulo hujus capituli propositam quæstionem respondeo, quod licet Summus Pontifex Coadjutorem perpetuum à Coadjuvando & majori ac saniori parte Capituli postulatum, ex justitia strictè dicta deputare non teneatur; ex æquitate tamen & honestate, ac pacis & tranquillitatis conservandæ gratiâ, id semper facere consueverit.

Prima pars responsionis constat ex sæpe dictis, quod Coadjutoria sic postulata nullum Jus strictè dictum tribuat postulato ante deputationem, & concessio ejusdem pendeat à mera gratia Summi Pontificis, supremi in beneficialibus & spiritualibus Domini, ut expresse tradit Card de Luca *de regul. disc. 53. num. 14. & 16.* ac alibi sæpe.

VII. Ratio secundæ partis est, quia cum postulatio concorditer ab omnibus, aut à

duabus tertiis facta, à superiore, saltem subalterno, ex iustitia admitti debeat, ut post alios docet Card. Tusch. *G. Concl.* 72. *Q. P. concl.* 457. & 458. æquum omnino videtur, ut & Summus Pontifex, exposita per Coadjuvandum & majorem ac sanio-rem partem Capituli, necessitate vel uti- litate Ecclesiæ, eâque cognitâ, Coadju- torem per illos postulatum admittat: licet enim hæc Coadjutoris postulatio non tri- buat jus ad rem, causat tamen præparato- rium quid, & attenta ratione, æquitate, ac publica tranquillitate, ultimò dispositi- vum ad illud, adeoqué moraliter quo- dammodo, tametsi non physice & abso- lute, necessitans,

VIII. Hoc vel maximè obtinet in Ger- mania, vi concordatorum tanto labore, tantisque cum solemnitatibus, ex causa unionis, pacis & tranquillitatis publicæ, inter Ecclesiam Romanam & Imperato- rem ac Principes Ecclesiasticos, & sæcu- lares nationis Germanicæ per modum contractûs initorum ac stipulatorum: qui- bus ut *cap. 3. num. 7.* diximus, summus Pontifex tanquam absolutus omnium be- neficiorum Dominus, de plenitudine po- testa-

testatis, suæ, absolute quidem derogare potest; atamen non nisi iusta & rationabili de causa; aliàs enim, non tam concordatis derogaret, quàm ipsimet æquitati & rationi, à cuius tamen dictamine, non censetur ex quacunque potestatis plenitudine deflectere.

IX. Quamvis enim jure veteri odiosæ fuerint Coadjutorix cum futura successione, tanquam gratiam expectativam seu præventivã continentes; tamen per Concil. Trid. extantibus causis necessitatis aut utilitatis, à summo Pontifice cognoscendis, tanquam Ecclesiæ favorabiles censentur: nec aliter dicuntur odiosæ, quàm si solemnitates Concilii non fuerint servatæ, utpote quod tunc sint subreptivæ. *Garzias de benef. p. 4. cap. 5. num. 15.* Si autem Coadjutoria expedita fuerit juxta sensum, & ad amissum Conc. Trid. non quidem desistet continere gratiam præventivam; sed erit qualificata, longèque diversa ab expectativa odiosa, ex quo per expectativas, nascatur inevitabile, votum seu desiderium captandæ mortis beneficiati, citra cuius consensum, & ullam Ecclesiæ necessitatis, aut favoris be-

beneficiati causæ disquisitionem, olim eæ conferebantur, adeoque non sit mirum, si fuerint etiam gentilibus odiosæ *cap. 2. de concess. præbend. in 6.* maximè quod ratione illarum suscitabantur infinitæ lites, inimicitia & contentiones inter Christi ministros, & odia implacabilia.

Ubi e contra in Coadjutoriis ritè concessis, consensus beneficiati, Capituli, aut Ordinarii Collatoris, formalis cognitio causarum, & aliæ solemnitates metum captandæ mortis, cujuscunque odii, ac litium tollunt; imo potiùs favorem, amicitiam, & fraternam charitatem in Deo, pro Ecclesiæ servitio majori conciliant. tales Coadjutoria non subjacent odiosis regulis expectativarum, sed e contra signanter respectu Papæ concedentis, ac Ecclesiæ & Prælati Coadjuti sunt favorabiles. *Gonzal. ad. reg. 8. gloss. 5. §. 9. num. 75. Put. decis. 478. lib 2. num. 6.* eamque differentiam satis comprobat *Concil. Trid. sess. 24. cap. 19. & sess. 25. cap. 7. de reform.*

X. & hinc contendimus, quod sicut S. Pontifex vi concordatorum §. 3. se obligavit ex justitia ad confirmandum electiones canonicas Ecclesiarum Cathedralium

lium

lium & Monasteriorum, *nisi rationabili & evidenti causa, ac de dictorum fratrum S. R. E. Cardinalium consilio, de digniori & utiliori persona, duxerit providendum.* Sic etiam ex æquitate & honestate, ac pacis & tranquillitatis conservandæ gratia, Coadjutorem perpetuum à coadjuvando & majori ac saniori parte Capituli postulatum, causâ necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, ritè cognita, deputare soleat ac teneatur. Et quemadmodum Papa, extra casum urgentissimæ necessitatis, semper requirit consensum Capitulorum Germaniæ, non quidem ex juris necessitate, ut ait de Matta *num. 189.* sed honestatis & urbanitatis causa, ad quam quodammodo astringi videtur. *c. pervenit II. q. 1. & l. digna vox c. de leg.* ita etiam iisdem legibus adstrictus, Coadjutorem, ut supra, postulatum, admittere & deputare consuevit; imo causa sufficienter cognitâ eandem deputationem non nimis diu differre solet; ne alioqui tam obligatio illa honestatis & æquitatis, quàm Coadjutoria ipsa reddatur elusoria & nulla.

XI. Passerinus *de elect. canon. cap. 24. q. 14.* à quodam Opponente malè citatus
tanquam

tanquam resolutioni nostræ contrarius, eandem illustrat & confirmat; ait enim ibidem: quod superior teneatur admittere postulationem, contingere potest ex lege justitiæ legalis connaturali officio Superioris, per quam tenetur necessitati Ecclesiæ subvenire, & boni communis utilitati consulere, & quam non licet violare, vel quia lex mandat, ut superior in simili casu dispenset, vel ex alia aliqua simili lege, & in hoc casu tenetur superior admittere postulationem, etiam factam in discordia, dummodo sit facta à majori parte: quia tunc lex per se urget, & nihil interest, quod nominatus sit à pluribus vel paucioribus, si est nominatus à tot, quot sufficiunt; & aliàs tanta est ejus aut utilitas aut necessitas, aut circumstantia, ut intret obligatio legis obligantis superiorem ad dispensandum cum postulato, & ad admittendam postulationem hæc Passerinus loc. cit.; nec aliud nos contendimus quàm quod S. Pontifex, causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ cognitâ, lege honestatis, aut justitiæ legalis, ex officio quodammodo teneatur Coadjutorem à
 Co-

Coadjuvando & majori parte Capituli
postulatum admittere & deputare.

XII. Methodus ritè proceden-
di ad Coadjutoriam cum futura
successione, hoc & præcedenti
capite traditæ, & in postulatio-
ne Celsissimi ac Reverendissimi
Principis *Lotharii Francisci* Epi-
scopi Bambergensis, Moguntiaë
servatæ approbatio & confitma-
tio per Breve SS. D. N. *Innocen-
tii Papæ XII.* ad Decanum &
Capitulum Ecclesiæ Metropoli-
tanæ Moguntinæ; tabulis æneis,
ad perpetuam rei memoriam, ad
laudem & gloriam Reverendis-
simi & Illustrissimi Capituli, me-
ritò inscribendum. Tenor Bre-
vis.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecti Filii, salutem & Apo-
stolicam benedictionem.

F v

Cum

Cum ex postulatione in Coadjuto-
 rem insignis istius Metropolitanae
 Ecclesiae Venerabilis Fratris Lo-
 tharii Francisci Episcopi Bam-
 bergensis cum futura successione
 manifestè appareat, in ejusdem
 Ecclesiae amplificationem & glo-
 riam unicè vos studia vestra inten-
 disse, meritas perspècto probato-
 que hac in re zelo vestro laudes
 tribuimus, ipsumq; magnoperè
 commendamus; prædictæ igitur
 postulationi ritè peractæ, quemad-
 modum rogastis, annuimus, reli-
 quum est, ut præsignato zelo novis
 indies documentis respondeatis;
 dum Nos vobis, Dilecti Filii, Apo-
 stolicam in hunc scopum benedi-
 ctionem per amantè impertimur.
 Datum Romæ apud S. Mariam
 majorem sub annulo piscatoris
 die

die 8. Octobris M. DC. XCIV.
Pontificatus nostri anno quarto.

Marius Spinola.

Signanter notanda hæc verba
Brevis : *postulationi ritè peractæ.*
Postulationi scilicet, non *electio-*
ni. ritè, sine ullo Brevis eligibili-
tatis, aut exhortatorio, unani-
miter *peractæ.*

Pertinens impertinens,

Quàm promptè & gloriosè
Reverendissimum & Illustrissi-
mum Capitulum Metropolita-
num *præsignato zelo novis indies*
documentis responderit, patet ex
eo, quod die 10. Januarii, curren-
tis anni 1695. Reverendissimum
& Perillustrem DD. *Christopho-*
rum Rudolphum L. B. à Stadion.
ex Decano in Præpositum; Die
7. Fe-

7. Februarii Reverendissimum & Perillustrem DD. *Joannem Philippum L. B. Greiffenklauv à Vollraths* ex Cantore in Decanum ; & die 12. hujus mensis Februarii Reverendissimum & Perillustrem DD. *Franciscum Emericum Wilhelmum L. B. à Bubenheim* in Cantorem ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ , in summa concordia , per unanimia elegerit. Optandum sane, ut aliarum Metropolitanarum , Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Capitulares nationis nostræ Germanicæ, illustrissima hæc imitarentur exempla.

Ca-



Caput VII.

An Coadjuvandus suis Capitularibus, sine præjudicio libertatis eorundem, certam personam pro suo Coadjutore proponere & recommendare valeat?

S U M M A R I U M.

1. *privata recommendatio certa & determinata personæ non præjudicat libertati Capitularium.*
2. *Imò necessario facienda videtur à Coadjuvando.*
3. *Talis recommendatio, seclusa vi, metu gravi & precibus importunis non vitiat electionem canonicam.*
4. *Licitum est manifestare eligentibus virtutes veras quibus eligendi ornantur, & vitia quibus notantur.*
5. *Attamen seclusis tractatibus ambitiosis, factionalibus, conditionalibus & simoniacis.*
6. *per se loquendo etiam licet Coadjuvando*
pu-

*publice in incapitulo recommendare de-
terminatam personam.*

I. Quamvis resolutio affirmativa pro-
positæ quæstionis ut certa supponatur, ab
omnibus hanc materiam tractantibus ;
quia tamen nonnulli existimarunt per
hujusmodi propositionem & recommen-
dationem certæ & determinatæ personæ,
libertatem eligentium aut postulantium
Lædi, ad eximendum hunc scrupulum.

Respondeo primo, Coadjuvandum su-
is Capitularibus privatim proponere &
recommendare posse certam & determi-
natam personam, sine ullo scrupulo, aut
libertatis Capitularium præjudicio. Pro-
batur primo, quia consensus coadjuvandi
requiritur, ne per obtrusionem personæ
ingratæ & suspectæ affligatur Episcopus
innocens, ejusque mortis captandæ ansa
præbeatur, ut omnes admittunt vel sup-
ponunt: ergo coadjuvandus suis Capitu-
laribus, saltem privatim, proponere &
& recommendare potest personam sibi
gratam & nullatenus suspectam, ne invisa
postuletur, quam nec obtrudere possunt
Capitulates contra ipsam Coadjutoria
essentiam & naturam. ut patet ex c. petii-
sti 7. q. 1. & cap. ne captanda 3. de concess.
præben. in 6. II.

II. Probatur secundo, quia cum ipse Coadjuvandus præ cæteris optimè noverit statum ac necessitatem suæ Ecclesiæ, uti & per quam personam, attentis circumstantiis, eidem meliùs provideri queat; æquitati & rationi omnino consentaneum videtur, quod pro ratione officii sui, possit saltem; si non debeat, huiusmodi personam suis Capitularibus, ad minus, privatim, indigitare, proponere & recommendare.

II. Confirmatur primo, quia talis propositio & recommendatio certæ personæ magis idoneæ facta à Præsidente Capituli, vel ab aliquo Capitulari, non vitiat electionem propriè dictam: ergo nec facta à Coadjuvando, postulationem aut requisitum hunc Capitularem dumtaxat consensum ullatenus vitare poterit. Licet enim de substantia electionis sit, ut suffragia sint omnino libera, ita ut aliter facta electio sit omnino irrita, *cap. cum terra X. de elect.* & *cap. ubi periculum §. ceterum de elect. in 6.* per hanc tamen privatam propositionem & recommendationem certæ personæ hic & nunc magis idoneæ & proficue, capitularibus sive eligentibus, nec

vis,

vis, nec metus gravis infertur, nec subor-
natio mala, aut preces importunæ inter-
veniunt, ut supponitur, sed solum com-
mune Ecclesiæ bonum intenditur, ei-
demque hac ratione prospicitur: & per
consequens talis recommendatio nec e-
lectionem nec postulationem ullatenus
vitiat, aut eligentium libertati præjudicat.

III. Confirmatur secundo; quia ma-
nifestare eligentibus virtutes veras, quibus
eligendi ornantur, vitia ac defectus, qui-
bus notantur, uti & emolumenta, quæ per
unam personam potius quam per quam-
vis aliam hinc & nunc Ecclesiæ obvenire
possint, ut dignus indignis, & dignior mi-
nus digno præferatur, non est malum, nec
ullo jure, etiam humano prohibitum, sed
licitum laudabile ac meritorium, ut
post Pellizarium *tract. 7. cap. 6. num. 33.*
Bordonum & alios docet Antonius à Spi-
ritu sancto *de elect. canon. tract. 5. disp. 2.*
sect. 7. num. III. & ratio est, quia tales tra-
ctatus informatorii & consultorii ante ele-
ctiones sunt omnino necessarii ad bonam
electionem, nam sine informatione de eli-
gendis & notitiâ eorundem non potest fieri
bona electio; unusquisque autem tenetur
jure

jure naturæ cooperari bono cōmunitatis nec consequenter ullo jure humano id cuiquam prohiberi potest. Etsi alibi prohibeatur ne ante electionem ullus habeatur tractatus, id non de his tractatibus consultoriis, sed de ambiosis, conditionalibus, aut etiam simoniacis intelligendum est

Unde & usitata ptaxis doctorum & timoratorum Prælatorum, tam regularium quam Ecclesiasticorum, Capitulis & electionibus faciendis præsentium, responsionem nostram confirmat.

VI. Ad propositam quæstionem respondeo secundo, Coadjuvandus per se loquendo, etiam publice in capitulo, suis Capitularibus personam determinatam pro suo Coadjutore proponere & recommendare potest, quamvis per accidens, attentis circumstantiis, id subinde fieri non expediat. Ratio est, quia cum id licite, & sine ullo scrupulo privatim fieri queat, ut jam ostensum est; nil obstat, quo minus, more magis consueto, etiam publicè fieri possit, nisi forte hic & nunc exinde animorum averiones, dissidia, aliave mala prævideantur aut timeantur.

G

Capit



Caput VIII.

De Officio Juribus & prærogativis Coadjutoris.

S U M M A R I U M.

1. Coadjutor cum futura successione, non habet verum titulum, nec beneficium; sed jus in re fictum, & titulum dumtaxat præventivum.
2. Potest & solet Coadjutor capere possessionem primæ gratiæ Coadjutorialis, ut pendente vita coadjuti, eidem assistat: dilata realis possessionis apprehensione, ad tempus vacationis.
3. Similia pendent à tenore Bullæ Pontificiæ, à quo deflectere non licet.
4. Gratia Coadjutorialis non irritatur, etiam si Coadjutor non deserviat.
5. Imò si Coadjutor datus est ex alia causa quàm explenda administrationis coadjuti, nunquam deservire tenetur.
6. Tenentur tamen Coadjutores generaliter ea facere, quæ pertinent ad officium illius, cui additi sunt, si ad supplendum defectum Coadjuti dati sint.

7. Co-

7. Coadjutores omnibus prerogativis, praeminentiis, honoribus & jurisdictionibus, habitualiter saltem, gaudent, quibus Principales Coadjuti.
8. Coadjutor Episcopi omnes canonicos praecedit, idemq; stallum habere debet, quod Episcopus, si adesset; huic tamen ut capiti servata semper aliqua supereminenti prerogativa: Coadjutor autem Canonici, alios canonicos praecedere non potest.
9. Possunt etiam ambo simul esse in Capitulo; potest etiam Coadjutor, moraliter saltem, sive habitualiter conferre beneficia.

I. **Q**uamvis Coadjutor cum futura successione non habeat verum titulum, nec beneficium, ut cap. 5. num. 8. dictum est; attamen gratia Coadjutorialis à Summo Pontifice concessa, tribuit non tantum jus ad rem, sed etiam jus in re fictum, operaturum plenos effectus per cessum vel decessum Praelati; adeoque producit titulum praeventivum, seu habitua-lem & initialem, estque beneficium Ecclesiasticum secundum quid; licet non producat jus in re verum & propriè, propter particulas *ex nunc, prout ex tunc*. Put. lib. 2. decis. 478.

II. Quamvis etiam nullum nascatur præjudicium in non publicando aut intimando gratiam iis, ad quos admissio, seu possessionis traditio pertinet; potest tamen præsentare se Coadjutor ad capiendam possessionem Coadjutoria, seu illius obtinendam executionem, quam nec capitulum, nec coadjutus, stante suo impedimento, recusare potest; nec tamen Coadjutor tenetur ad jurium solutionem, quia non admittitur ut Episcopus, Prælatus vel beneficiatus, dum capit possessionem primæ gratiæ Coadjutorialis: ut nempe pendente vita Coadjuti eidem assistat. Garzias *de benef. parte 4. cap. 5. num. 78. & 144.* imo solent ejusmodi gratiæ quantocius intimari, ne contingente vacatione, prætexta causa ignorantia, quidquam sinistri eveniat: realis autem possessionis apprehensio seu receptio, juxta ordinarium Bullæ tenorem, differtur ad tempus vacationis; quamvis Remouchamps *cap. 12. num. 11.* etiam velit realem possessionem beneficii & juris Prælaturæ peti & obtineri posse, per receptionem admissionemve ad juramentum, solutis juribus &c. ad hoc ut ceden-

te vel decedente Coadjuto , non egeat nova receptione, sicuti non eget novo titulo : hæc tamen possessio foret tantum ficta seu conditionalis, sicut ipse titulus, durante vita Coadjuti, omnia enim fierent, *ex nunc, prout ex tunc.*

III. Hæc & similia dependent à tenore litterarum Apostolicarum, à quibus deflectere non licet: in tantum ut Capitula non possint restringere auctoritatem & facultates in illis per Summum Pontificem attributas, eodem in consulto, Gonzal. *ad Reg. 8. Gloss. 5. §. 9. num. 94.* & Carz. *loco cit. num. 144.*

Quoad officium Coadjutoris, sciendum est, Concil. Trid. *sess. 25. cap. 7.* non aliter permittere coadjutorias perpetuas seu irrevocabiles, quàm verificatis causis necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ, ne scilicet illa propter impedimentum Prælati aliquod detrimentum patiatur juxta dicta *cap. 4. num. 10.* & si sed illam causam finalem pro substantia gratiæ Coadjutorialis justificari sufficit.

IV Nec ideo irritatur gratia, aut minus subsistit, si Coadjutor de facto non deserviat, aut juret Prælatum supportan-

dis oneribus; quia juxta communem Doctorum sententiam, non tenetur, nisi ad causativam residentiam, talem scilicet, ut si non resideat, seu deserviat, fructus amissos, è suo ad opus Coadjuti, vel Ecclesiæ refarcire debeat. Garz. *loc. cit. num. 122.* Barbos *ad con. Trid. sess. 25, cap. 7. num. 14.*

In conscientia tamen videretur teneri Coadjutor, si Ecclesia aut subditi aliquod damnum spirituale vel temporale, juxta qualitatem necessitatis narratæ in Bulla, paterentur ex culpa vel mora Coadjutoris differentis subire onera Coadjuti impediti; imputare enim sibi debet quod curam Coadjutoria incumbentem acceptarit, cujus causâ, seu in compensationem laborum, gratificatus fuit gratiâ successionis. Garz. *de benef. part. 4. cap. 5. num. 56.* & cum Coadjutoria Prælati conferat dignitatem, quæ est præ eminentia cum jurisdictione; æquum est Coadjutorē in se suscipere partem sollicitudinis.

V. hæc tamen fallunt, quando Coadjutor est datus ex alia causa, quæ supplendæ administrationis Coadjuti, vel propter illius impedimentum, seu mul-
titu-

titudinem negotiorum ; v. g. si causa principalis Coadjutoria fuisse, ut obviaretur incommodis & periculis, quæ post obitum Prælati ex longa sedis vacatione oriri possent, tunc enim Coadjutor ad nullam nequidem causativam residentiam, aut aliquod onus teneri, pendente vita Coadjuti, certum est.

Coadjutorem etiam vi Coadjutoria non teneri ad lectionem horarum canonicarum; nec ad ordines suscipiendos præcise, sed tantum habitualiter intra annum, nisi habuerit congruam ex mensa beneficii sustentationem, tradunt Barbossa. *Garzias & Remouchamps locis citatis.*

VI. Tenentur tamen Coadjutores, generaliter ea facere, quæ pertinent ad officium illius, cui additi sunt, si ad supplendum defectum Coadjuti dati sint. *gloss. in cap. un. verb. officium, de cler. agrot. in 6.* tamen si Coadjutores Episcoporum Pontificalia exercere non valeant, nisi & ipsi sint Episcopi. *cap. is. cui 42. de elect. in 6.*

VII. Ad cognoscenda jura Coadjutorum, ante omnia inspicienda est forma concessionis Coadjutoria & secundum hanc, veluti cynosuram, judicandum.

dum. Ea vero nihil certi determinante, regulariter Coadjutores omnibus prærogativis, præeminentiis, honoribus, & jurisdictionibus gaudent, saltem habitualiter, quibus Principales Coadjuti. Unde Coadjutor datus ad Episcopatum cum spe futuræ successionis, reliquos omnes ex capitulo præcedit; idemque prorsus stallum, quod Coadjutus, si præsens esset, obtineret, habere debet.

VIII. Ut censuit sacra Congregatio Rituum, apud Barbos *ad Concilium Tridentin. session. 25. de reformat. cap. 7. numer. 20.* hoc tamen restringendum est ad Coadjutorem Dignitatis, habentis certam & signatam sedem; aliud enim est in Coadjutore alterius, v. g. Canonici, cui Sedes Principalis sui, cum ejus antiquitate non assignanda. sed sedere is debet ultimo loco post omnes Canonicos; quia licet repræsentent personam Principalis, subrogati autem, ex vulgato jurisficio, frui debeant eisdem prærogativis, quibus fruitur ille, in cujus locum subrogantur; id tamen intelligi debet, respectu aliorum inferiorum, quibus præferri maxime debent non autem respectu aliorum Canonico-

nicorum parium ipsi Coadjuto, quos præcedere non possunt; *Barbos loc. cit. num. 18. & 19. Garz. de benef. p. 4. cap. 5. num. 65. & seqq.* ubi plura specialia jura Coadjutoris recenset.

Quamvis autem ipsa gratia Coadjutorialis præbeat dignitatem; attamen Coadjutor nihil sibi actualiter arrogat, nisi nomine & jure Coadjuti, sui Domini, & Prælati Principalis, etiam eo absente, illi uti Capiti semper reservata aliqua supereminenti prærogativa, veluti Sede, veste, loco, exercitio Ordinis & aliis functionibus principalioribus, pro qualitate beneficii & administrationis Coadjutori demandata; *Barbos loc. cit. Remouchamps cap. 15. num. 4.*

IX. Possunt etiam ambo, Coadjutus nempe & Coadjutor, simul esse in Capitulo sub diversis tamen respectibus; sufficitque quod in omnibus sit aliqua subordinatio ad exemplum Episcopi & sui Vicarii. *Garz. L.c. num. 107. 108. & 109.* in causa ipsius Coadjuti non potest quidem interesse Capitulo tanquam Coadjutor; nihilominus in qualitate Canonici, non est ipsi denegandum suffragium, minus

G v

quam

quam Coadjuto in causa particulari Coadjutoris; modo non in re & causa ipsis communi, v. g. Coadjutoria. *Garz. loc. cit. num. 103. Barbos num. 44.*

Habet etiam Coadjutor vi potestatis suae Coadjutorialis facultatem & jurisdictionem, seu jus conferendi beneficia & officia; saltem moraliter, sive habitualiter, nempe Coadjuto permittente, aut non conferente, vel providere non valente.

Quamvis alii velint illam facultatem conferendi beneficia dependere à tenore literarum, & potestate ipsi specialiter concessâ. *ut Ioan. Andr. & Imola in cap. ult. de cler. egot. Flam Paris lib. 7. q. 20. num. 19.* plura de auctoritate juribus & prerogativis Coadjutoris videri possunt apud *Barbos lib. 3. juris. Eccles. univers. cap.*

10. numer. 34. &

seqq.



Caput



Caput IX.

Quomodo Coadjutoria amittatur seu finiatur.

S U M M A R I U M.

1. Coadjutoria temporalis & revocabilis expirat mortuo Coadjuto: & data ad tempus impeditenti, cessat cessante impeditamento.
2. Coadjutoria perpetua in quantum respicit favorem Coadjutoris non cessat per obitum Coadiuti, sed ex primo jure concesso sortitur effectum, & jus plenum efficitur.
3. Successionem non impedit superveniens infirmitas Coadjutoris, ob quam, ad tempus coadjuvare non potuit, dummodo tempore datae Coadjutoriae extiterit habilis.
4. Cessat etiam Coadjutoria cessione Coadjutoris, & renunciatione ejusdem in favorem, transfertur.
5. Mortuo Coadiuto, tempore datae gratiae, corruiat Coadjutoria, & nulla est à principio.
6. Licet gratiae super beneficiis vacaturis,
morte

morte concedentis papa, regulariter expirent, reintegrâ, Coadiutoria tamen iuxta Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 7. expedita, non expirant superveniente morte concedentis Papa.

I. **O**fficium Coadjutoris exspirat mortuo Episcopo, vel Prælato coadjuto; quod Doctores etiam intelligunt in morte civili, ut quia renuntiat vel deponitur is, cui datus est Coadjutor, talis enim quoad Ecclesiam, etiam habetur pro mortuo. *Put. lib. 3. decis. 226. num. 3.* ubi dicit per obitum Coadjuti beneficium vacare, cum Coadjutoria non duret nisi durante vitâ ipsius Coadjuti; quod vel ex ipsa Coadjutoris denominatione seu Etymologia arguere licet; mortuo enim vel deposito eo cui datus fuit Coadjutor, non est quem coadjuvet; unde jurisdictionem tunc exercebit Capitulum, vel is ad quem spectat sede vacante.

Quod si Coadjutoria ex certa causa, ad tempus data sit, v. g. ob malam Episcopi valetudinem aut aliud impedimentum; cessat cessante impedimento.

II. Dum autem Coadjutoria data est in perpetuum cum futura successione,
qua.

quatenus illa respicit favorem Coadjuti, exspirat eo mortuo, pro ut jam diximus de Coadjutoria temporali & revocabili; sed in quantum respicit favorem Coadjutoris, per obitum Coadjuti non exspirat, ut declarat idem *Put. lib. 2. decis. 98.* per hujusmodi enim gratiam præventivā acquiritur Coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum, adeo ut non requiratur pro Coadjutore nova collatio, sed absque aliquo ministerio, gratia Coadjutoria ex primo Jure sibi concessa effectum sortiatur, cum Papain istis coadjutoriis, ex nunc prout ex tunc faciat collationem ut resolvit *Rota apud Garziam de benef. p. 4. cap. 5. num. 128. Fagn. in cap. ex parte x. de cler. agrot. num. 16.*

III. Sed quid, si Coadjutor cum spe successionis alii juvando datus, ipse, vivente adhuc coadjuto, eo infirmitatis redactus foret, ut resolutâ Coadjutoriâ, non possit superesse officio, cujus ipsi spes facta, eritne ipsi successio salva? Respondeo affirmative, quia sufficit causam & qualitates ipsius, juvandi alium, adfuisse eo tempore, quo ipsi promissio facta suc-
ces-

cessionis, quibus tametsi postea cessantibus, non cessabit effectus. *Arg. l. si quis heredem. 7. c. de instit. & substit. ubi sufficit conditionem momento temporis, quo adesse debuit, adfuisse. ita quoque si qualitas quæpiam certo tempore requiratur, satisfactum erit, si eo tempore reperiatur. L. in delictis 4. § si extraneus 1. ff. de noxal. act.*

IV. Cessat etiam Coadjutoria cessione Coadjutoris, etiam invito coadjuto, dummodo accedat, consensus Superioris, Papæ, vel Ordinarii, pro qualitate beneficii. *Garz. p. 4. cap. 5. n. 126.*

Sic etiam renuntiatione in favorem transfertur Coadjutoria, dummodo ultra requisita in cessione, accedat consensus coadjuti, respectu personæ resignatarii, ad avertendum metum captandæ mortis: & Ordinarii vel Capituli, cæteræque facultates per Conc. Trid. circa qualitatem personæ requisitæ, concurrant.

V. Mortuo etiam Coadjuto, tempore gratiæ datæ, corruiat Coadjutoria, & nulla omnino est à principio; quia licet Bulla contineat duas gratias separatas æque principales, tamen quia pendent à veritate

tate

tate narratorum, sine quibus Papa absolute non contulisset; & secunda, in recompensam primæ onerosæ, dicatur subordinata & accessoria; certum est hanc subsistere non posse, prout late probat Garz. p. 4. cap. 5. num. 131. & seqq. contra Gonzal, qui etiam male supponit, illam clausulam: *etiamsi vacet actualiter beneficium, de tempore data*, solere apponi.

VI. Morte concedentis Papæ regulariter re integra exspirant gratiæ super beneficiis vacaturis, c. *si cui* 36. §. *secus de præbend. in 6.* imo per regulam 10 cancell. Innocentii Papæ, revocari solent gratiæ quæcunque expectativæ, & reprobari desuper obtentæ & expeditæ litteræ, etiam juxta *con. Trid. sess. 24. cap. de reform.* quod etiam videretur dicendum de Coadjutoriis, ut gratiam expectativam importantibus: nisi *con. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform.* tales commissiones expectativas sub forma Coadjutorialium, in majoribus dignitatibus permetteret, servatis ibidem servandis; unde sufficit propter auctoritatem Concilii, quod semel Ordinarius, vel Capitulum, juxta naturam beneficii seu dignitatis consenserit, & Papa antecessor,

cessor, ex causa rationabili conformata
 Conciliari dispositioni *ex nunc*, pro ut *ex
 nunc* contulerit; quia tunc gratia est per-
 fecta, imo desit res esse integra, vi dictæ
 clausulæ. *C. si super gratia de offic. deleg. in
 6. ibi. D. D.*

Nec obstat dictum *c. si cui.* & disposi-
 tio *regula 10. & conc. Trid. sess. 24. cap. 19.
 & sess. 25. cap. 7. in princip. de reform.* quia
 loquuntur de meris expectativis, & man-
 datis de providendo, uti & de beneficiis
 simplicibus, seu non habilibus ad Coad-
 jutorias; respectu quorum, per obitum
 concedentis Papæ, aut Ordinarii consen-
 tientis, ejusmodi gratiæ qualescumque,
 propter deficientem Concilii authorita-
 tem ac fomentum, meritò expira-
 re & resolvi cen-
 sentur.

FINIS.



ta
ex
er-
ta
in
fi-
9.
tia
n-
iis
d-
m
n-
e,
a-



